IO. ANT. CASSITTI

ICTI ET ADV. NEAPOLITANI

AMOENITATES IVRIS



NEAPOLI



CIↃIↃCCLXXXX.



NOBILISSIMAE MATRONAE
IULIANAE A MUDERSBACH
IOANNES ANTONIUS CASSITTUS

IBitis e pluteo, soboles fugitiva, papiri
Corniger immensis qua sonat Ister aquis.
Vos MUDERSBACHIA *excipiet, Divina Puella,*
Altera quae Pallas, quae mihi quarta Charis,
IULIA, *qua* Herbipolis *felix laetatur alumna,*
Inque suis numerat, iure superba, viris.
Germanas, dum scribo, inter pulcherrima Nymphas
Adstat ad AUGUSTAS *obsequiosa* NURUS:
Aut illam CAROLINA *sacri dignatur honore*
Colloquii, ac Natae gaudet habere loco.
Non tamen absentis munuscula spernet amici,
Et semel in nostrum lumina flectet opus.
Nuper ubi Hadriacis CAROLINA *adparuit undis*
BINAQUE *cum magno* REGIA NUPTA PATRE;
Semifer hinc Triton buccis concham inflat anhelis,
Hinc saltant nudae, turba marina, Deae
Lae-

Laetifico interea tonitru catapulta remugit,
Bombus & ad Libycos murmurat usque sinus.
Regali conviva sedens tunc IULIA *mensa*
Conspicitur, DOMINAE *claudere iussa latus.*
Post paullo Illyricis FERNANDO *in finibus exis*
Obvius, ac NURIBUS *fis,* LEOPOLDE, *comes.*
Hic tanto in coetu laudatur IULIA: FRATRI
Laudatam sistit CAESARIS *ipsa* SOROR.
Quis putet? Haec inter nostri haud oblita VIRAGO
Nos salvere suo iussit Epistolio.
Non etenim sapientem animum mortalia turbant:
Rectus in antiquo se tenet ille statu.
Quas ego iam referam grates? Mihi curta supellex.
Attalica exhilarat non mihi gaza lares.
At, scio, parva probant Superi donaria: saepe
Pendet ab excelso vile anathema tholo.
Ne ferar ingratus, properatum sic pede in uno
Hoc MUDERSBCHIAE *nuncupo xeniolum.*
Forte alias meliora dabit maturior aetas,
Otia si faciens adiuvet orsa Deus.

Dabam Boneti in Hirpinis Idib. Octobr. CIↃIↃCCXC



IO. ANT. CASSITTI
AMOENITATES IVRIS

CAPVT I.

Emendatur, et illustratur *L.* 32. *pr. ff. de auro, arg. leg.*

IVLIVS PAVLLVS. Lib. II. ad Vitellium. d. l. „ PEDICVLIS *argenteis adiuncta sigilla aenea, ceteraque omnia, quae ad eamdem similitudinem redigi possunt, argento facto cedunt* „.

Ita libri omnes.

§. I.

PEdiculos illos ACCVRSIVS explicabat *fulcra et bases*, quem refellit BYNKERSHOEKIVS (*a*) tum quod *pediculus* hac significatione nusquam occurrit, tum etiam quod *sigillo*, sive parvae statuae ex aere non convenit basis argentea. At quis nescit ICtos vocabula passim usurpare peregrina, ac singu-

lari prorsum significatione ? (*b*) Deinde sigillum esse quidem poterat aeneum, sed Corinthium, et *aeri Corinthio pretium fuit ante argentum*. (*c*)

(a) Observ. Iur. *lib. IV. cap.* 23.

(b) ECKARD. *Hermen.* §. *CXIV.* C. A. DVCKERVS &c.

(c) PLIN. *H. N. lib. XXXIV. cap.* 1. Vid. FLOR. *lib. II. cap.* 16. & nostrum IAVOLEN. *l.* 100. §. 3. *ff. de legat.* 3.

§. II.

Praetereo LEVNCLAVIVM (*a*) qui ad *pendicula*, idest funes confugit. Non ita desperandum erat, quasi negotium venisset ad restim. *Pediculus* BYNKERSHOEKII, nempe *os utris* sive *fundibulum* cuinam probabitur, quod nec ipsi arridere potuit auctori ? Satius erat ACCVRSIO subscribere.

(a) *Adn. ad ff. n.* 46.

§. III.

Sed BYNKERSHOEKIO pruriebant ungues. Itaque PEDICVLIS excussis RETICVLA substituit. Mox dubitat *reticula* accipias quae *comis ingentibus implent* matronae (*a*), an *reticula* alia sive sepimenta ad instar retis, quibus

bus vulgi aditus prohibetur. De istis in testimonium adducitur solus FESTVS (*b*) Addi poterat VLPIANVS noster (*c*). *Glossae Regiae* LABBAEI „ CANCELLVM, RETICVLVM *a cassibus, idest retibus diminutive, unde Cancellarii qui stant in cancello* „ Item *Glossa* MARCHESINI (*d*) „ CANCELLVS *fenestra* RETICVLATA „

(a) IVVEN. *Satyr. II. v.* 96.

(b) *V. Secespitam.*

(c) *L.* 17. §. 4. *ff. de act. empt.*

(d) *Ad lib. IV. Reg. cap.* 1.

§. IV.

Ego vero, ut quod est fatear, non laudo BYNKERSHOEKII *reticula*. Mulieres Bynkershoekianas cum reticulo argenteo in capite, et sigillis aeneis dependentibus non Romanas dicerem, sed forsitan Aegyptias. Certe nemo auctorum veterum de tam lepido ornatu loquitur; neque in numis, gemmis, statuis, anaglyphis aliquid simile occurrit, opinor. Posterior significatio, scilicet *sepimenti* non opportuna loco. Cancelli ita infixierant aedibus, ut avelli non possent. Cur non? Si exemptiles fuissent et argen-

tei, neque prohibuissent aditus vulgi; neque manus furunculorum. Atqui omnia infixa cedunt aedibus (a), non veniunt argenti nomine in legato. Certe supellectili saltem talia reticula adnumeraveris, quoniam in aliam speciem non videntur cadere: parro *supellex* argento facto non continetur (b).

(a) *L.* 12. §. 25. *ff. de instruct. vel instrum. leg. &c.*
(b) ULPIAN. *L.* 27. §. 6. *ff. h. t.*

§. V.

Quid tu? inquies. Si ACCURSIANA interpretatio displicet; at saltem priusquam BYNKERSHOEKIO adsentiaris, videsis utra ex coniecturis sequentibus appareat probabilior.

Dicerem posse emendari: PELVICVLIS *argenteis adiuncta sigilla aenea*. Ita restituebat ROMVALDVS pater meus ὁ μακαρίτης iudicii acerrimi ICtus, nisi quod animo angebatur quia nusquam *pelviculas* in Latio vidisset: deinde quod aenea sigilla et emblemata pelvibus argenteis adiungi non poterant. Atqui nihil erat quod senem optimum turbaret. In *Notis* quae vulgo TIRONI et SENECAE (a) tribuuntur, disertis litteris legitur PELVIS.

PE-

PELVICVLA. Has *Notas* si genuinas nolimus, at esse plane antiquas (exceptis postremis aevo sequiore additis) pluribus probarem si hoc agerem. Conferendus interim BVRMANNVS (*b*) Porro pelves etiam argenteas ornari poterant emblematibus et sigillis ex aere Corinthio. Iuvamur testimonio PRVDENTII (*c*).

Multa divitis domo
Sita est per omnes angulos supellex:
Fulget aureus scyphus,
Nec AERE *desit expolita* PELVIS.

Pelves argenteas in usu fuisse constat ex alio PAVLLI nostri fragmento (*d*) PETRONIVS (*e*) *Attulerunt unguentum in* argentea *pelvi*. Cumque pelves vasa patula, et immania plerumque essent (*f*) idcirco viri in sumptu parciores *pelviculas* sibi comparabant. Pelviculae huiusmodi sigillis aeneis expolitae argento facto cedunt, quod hac nostra L. monet PAVLLVS. Paene idem alibi scripserat (*g*) *Vasis argenteis legatis, emblemata quoque ex auro infixa legato cedunt.*

(a) *Comment. IV. cap. 2. not.* 30. 31.

(b) *Praef. ad* GRUT. *Corp. Inst. p. XIII.*

(c) *In Enchirid. ode ult.*

(d) *L.* 3. §. 3. *ff. de supell. leg.*

(e) *Fragm. Tragurit. p. LIX.*

(f) IVVEN. *Satyr. III. v.* 277. APVL. *Metam. lib. IX. p.* m. 946.

(g) *Recept. Sent. lib. III. tit. VI.* §. 89.

§. VI.

Alteram nunc propono emendatiunculam fortasse modestiorem. Unicam litteram immuto; lego scilicet AEDICVLIS pro PEDICVLIS. Quid sint *aediculae* ex argento, quid *aenea sigilla* aediculis adiuncta, nunc edisseram.

§. VII.

Celebris est locus in ACT. APOST. (*a*) *Demetrius argentarius faciens* AEDES (ναὼς) ARGENTEAS *Dianae*, *praestabat artificibus non modicum quaestum*. En tibi *aediculas* nostras, sive armariola, vel arculas in templi speciem effigiatas, quibus inclusum erat Ephesiae Dianae sigillum. Divus CHRYSOSTOMVS (*b*) vertit ἴσως κιβώρια μικρά. AVGVSTIN. CALMET (*c*) monet in pluribus libris manu exaratis ad oram versiculi eadem verba esse

ad-

adscripta, Ἴσως κιβώρια μικρὰ i. e. *parva ciboria*: scilicet ex CHRYSOSTOMO, si quid video. Demetrii ciboria *atria ex argento*, et *delubra* vocavit ARATOR (*d*) Poeta non obscuri nominis sub Iustiniano.

Infelix Ephesi Demetrius arte locata
Sacrilegis delubra *locis* (*e*) *argentea suetus*
Solvere vota suae pretio maiore Dianae etc.

Innuit fabricatas huiuscemodi aediculas, ut easdem superstitiosi homines, ceu donaria sive anathemata, in ipso Dianae templo suspensas relinquerent. Non meretur contemni ARATORIS coniectura: nam et PAVSANIAS (*f*) narrat appensas tholo exstitisse in Templis Graeciae celebrioribus quasdam aediculas Deorum simulacra continentes.

(a) *Cap. XIX. v. 24.*
(b) *Homil. XLII. in Acta.*
(c) *In Comment. ad h. l.*
(d) *Hist. Apost. lib. II. p. 137.*
(e) Subdit Poeta:
Quae nunc simulacra sacellis
Quae poterunt dare tura locis, quos advena Paullus
Territat?
(f) *In Eliac. poster. sive lib. VI. p. 167. 59.*

§. VIII.

Neque tamen antiqui aediculis huiusmodi semper ad vota utebantur. Saepe etiam lares avitos includebant armariolo in templi modum facto. PETRONIVS (*a*) *Grande armarium in angulo vidi, in cuius AEDICVLA erant Lares argentei positi.* Immo et Penates in aedicula gestatoria e Troja deductos probat IO. ARGOLIVS (*b*) Alia quoque Numinum simulacra parvis thecis claudebant. DIO CASSIVS (*c*) *Aedicula quaedam Iunonis, quae in Albano super mensam dedicata orientem solem spectabat, ad septentrionem conversa est.* Hipponae *aediculam* in trabe stabuli memorat L. APVLEIVS (*d*) ut et Silvani signum theca fraxinea semiclusum legimus in marmore FABRETTI (*e*) Cernitur Vulcanus clausus aedicula in numo apud HARDVINVM (*f*) In carneola Stoskii Harpocrates domesticus sedet in simili armario (*g*). Immo penes eundem Stoskium servabatur Aedicula marmoris Parii, in qua Ceres Eleusina (*h*). Stoskiana gaza nunc Regium Berolinense Museum exornat, ibique etiamnum descripta monumenta ser-

servantur. In lapide GRVTERI (*i*) nominatur *sigillum cum ara arae superpositum*. Hoc sigillum arulae adiunctum aedicula est, vel certe non multum differt. Huc etiam traho quod de fabro quodam scribit TERTVLLIANVS (*k*) *Aediculas aut signa fabricat.* Superstitiosissimi gentium Graeci tales loculos invexere. Ναΐδια dicuntur POLYBIO, χαδίσκοι ATHENAEO, et artifices aedicularum ναωποιοὺς appellat *Scholiastes Rhetoricorum* ARISTOTELIS. Confer amicum optimum ALEXIVM AVREL. PELLICCIA (*l*).

(a) *Satyric. p.* 14.

(b) *Ad* PANVIN. *de Ludis Cirsens. lib.I. cap.*16. *adn.*42.

(c) *Hist. lib. XXXIX. tom.* 2.

(d) *Metam. lib. III. p.* 131.

(e) *Pag. CCXXX.*

(f) *In PLIN. H. N. lib. III. cap.* 12. *p.* 169. *n.* 10.

(g) RODVLPH. VENVTI *Collect. Rom. Antiq. Tab.XX III.*

(h) *Vid.* PHIL. VENVTI *Diatrib. in vol.II. Cortonensium.*

(i) *Pag. CCLXXII. n.* 1.

(k) *De Idolol. cap. IV.*

(l) *De Christ.Eccl.Polit. tom.III. part.* 1. *Dissert.III.§.*3.

§. IX.

Tenes iam *aediculas*, ut puto; nunc de *sigillis* adhuc pauca monebo. Quisnam *paternos*

illos

illos *deos* nescit, quos in *sinu* portabat villica HORATIANA (*a*)? Lares erant vel Penates, nam palmares plerumque fiebant, si ARNOBIO (*b*) fides. Deos *minutos*, et *patellarios* per deridiculum dicit PLAVTVS (*c*) non quod ipsis *patellâ* sacrificaretur (ut putant eruditi), sed quia mirum quantum exigui essent Dii in emblematibus *patellarum* plerumque expressi. Sane CICERONI (*d*) memoratur *patella grandis cum sigillis et simulacris Deorum*. De icunculis, et sigillis quae religiosi veteres circumgestabant eruditissime disserit FRANC. M. BONADA (*e*).

(a) *Lib.* 11. *Od.* 18. *v.*27.

(b) *Adv. Gent. lib. VI. p.* 230.

(c) *Cistell. act. II. Sc. I. v.* 46.

(d) *Act. II. in Verr. lib. IV. cap.* 21.

(e) *De Vet. Rom. Simulacr. cap. IX.*

§. X.

Favet PAVLLO a nobis restituto COMMODIANVS (*a*) qui Lares aeneos conclusos aediculis indicat. Scriptoris antiqui simplex ruditas ita me afficit, ut versus eius incomptos etiam lectori non iniucundos futuros arbitrer.

Ti-

Titanes (b) vobis Tutanos dicitis esse
Immites, tacitos. Sub culmina vestra rogatis
Tot LARES AEDICVLIS (c) simulacraque ficta Titanis.
Adoratis enim stulti letho malo defunctos,
Non legem illorum LVGENTES (d) Non ipsi loquuntur,
Et Deos audetis aeramine dicere fusos?
Solveritis eos magis in vascula vobis.

(a) *Instruct. adv. Gent. Cap. XX.*
(b) Ita legendum, uti suadet achrostichis.
(c) Perperam vulgo AEDICVLAS.
(d) *Male Vulg. libri* LEGENTES.

§. XI.

Hinc porro Christiani usum arripuerunt sacras icunculas, vel Sanctorum reliquias parvis thecis argenteis ornandi in templorum speciem. Lipsana B. STEPHANI Protomartyris in *capella argentea* commemorat EVODIVS Episcopus Uzalensis B. AVGVSTINO coaevus, nisi alius est auctor Commentarii *de Miraculis S. STEPHANI* (a). Adde quae congessit DV-FRESNE (b).

(a) *Lib. I. cap. 8.*
(b) *Glossar. Vol. II. p. 242.* v. CAPELLA.

§. XII.

§. XII.

At enim quis mihi obiiciet vix posse imagines Deorum Larium, et istiusmodi thecas religioni destinatas legato argento cedere. Cui reponimus, ea quae sibi privatim sacra veteres constituissent profana fuisse habita (a). Non *sacros* dixit Penates QVINTILIANVS (b), sed in illis *ALIQVID SACRI* esse iudicavit. Signa quaedam Deorum ex avito sacrario C. Heii Civis Mamertini emisse Verrem narrat CICERO (c) Apposite TIBVLLVS (d).

Quin etiam sedes iubeat si vendere avitas
Ite sub imperium, sub titulumque Lares.

Sed nil hac de re illustrius testimonio TERTVLLIANI (e) *Domesticos Deos, quos Lares dicitis, domestica potestate tractatis pignerando, venditando, demutando aliquando in cacabulum de Saturno, aliquando in trullam de Minerva . . . Publicos aeque publico iure foedatis, quos in hastario vectigales habetis.* In quadam Inscriptione exstante adhuc Regii in Brutiis relata a GONZALO DE SALAS (f), quamque nuper doctissime illustravit CAN. IOSEPH MORISANVS (g), videmus T. Tarfenium

nium testamento legare LARES ARGENTEOS SEPTEM[f]. Itaque aediculae argenteae sigillis adiunctis, etiamsi religionis instrumenta essent, in libero fuerunt commercio Romanorum, et poterant cedere argento legato.

(a) MARCIAN. *L.* 6. §. 3. *ff. de divis. rer. & qual.* PAVLLVS *l.* 9. §. 1. *ff. ad l. Iul. peculat.* FESTVS. *v. Sacer mons.*

(b) *Decl. CCCXXXVII.*

(c) *In Verr. Act. II. lib. IV. cap.* 2.

(d) *Lib. II. eleg. IV.*

(e) *Apolog. cap.XIII.* adde MERILL. *Obs.lib.IV.cap.*27.

(f) *Not. ad* PETRON. *Satyric. p.* 117. Coniecta est *in Corpus* GRVTERIANVM *p. CLXXIV. n.* 7. & describitur a FABRETTO *cap. IX. pag.* 639.

(g) *Marm. Regin. Diss. VI.*

CAPUT II.

Resolvitur geminatio in *L.* 44. *ff. de relig. et sumpt. funer.*

IVLIVS PAVLLVS lib. III. Quaestionum d. l. *Mihi autem videtur illum* (locum) *religiosum esse ubi quod est principale conditum est,*

est, id est caput, CVIVS IMAGO FIT *inde cognoscimus*.

Ita Codex Tuscus.

§. I.

Sic legendum edicit CVIACIVS (a) At BYNKERSHOEKIVS (b) neminem sic loquutum affirmat, immo si loquatur non intelligi. Haec plane sensum commodum non fundere fatetur vel MARCKARTVS (c). Hinc HALOANDER legit, *Unde qualis cuiusque imago sit, cognoscitur*. SVERINIVS ex libro veteri, *Cuius imago sit, unde cognoscimur*. BYNKERSHOEKIVS, *Unde cuius imago sit cognoscitur*. FREHERVS *Cuius imago fit, et unde cognoscimur*. NISPEN, *Cuius imago fit, et inde cognoscimur*. MARCKARTVS denique (ex quo hausimus adductas Criticorum varietates) restituit. *Huius imago fit, et inde cognoscitur*. Mox frigide contendit ICtum ita abrupte loquutum ut Florentiae legitur.

(a) *Obs. lib. XXI. cap. 4. et alibi*.
(b) *Obs. lib. I. cap. 5.*
(c) *Interpr. Recept. lib. II. cap. XIX. §. 4.*

§. II.

Ego vero miror clarissimos Interpretes non vi-

vidisse in his: CVIVS IMAGO: latere egregiam, ac verissimam lectionem si regulam *geminandi* adhibeamus. Etenim nil rectius ac facilius quam postremam litteram CVIVS, et IMAGINIS primam ita geminare ut enascatur particula SI: qua de re fiet sermo huiusmodi. *Mihi autem videtur illum* (locum) *religiosum esse, ubi quod est principale conditum est, idest caput, CVIVS* (si) *IMAGO fit, inde cognoscimur*. Scilicet si capitis nostri imago fiat, inde cognoscemur.

§. III.

Caput scite a PAVLLO dicitur id *quod est principale*. Hac eadem formula utitur LACTANTIVS (*a*). *Omnis enim iustitia eius similis est humano corpori caput non habenti, in quo tametsi membra omnia et locis suis constent et figura et habitudine, tamen quoniam deest ID QVOD EST OMNIVM PRINCIPALE, et vita et sensu caret*. Similem usurpat loquutionem SALVIANVS (*b*). *Morbido enim capite nil sanum est, neque ullum omnino membrum officio suo fungitur, ubi QVOD EST PRINCIPALE non constat*. Etiam VEGET. RE-

NA-

NATUS (c), et BRAULIO Episcopus Caesaraugustanus (d) capitis *principatum* dicit in corpore; *primam partem* corporis QUINTILIANUS (e) et ISIDORUS (f). Alia quaedam de dignitate capitis corradit MERILLIUS (g) ex antiquis.

(a) *Divin. Inst. lib. VI. cap. 9.*

(b) *De Gubern. Dei lib. VII. p. 369.*

(c) *Artis Veterin. lib. II. cap. 1.*

(d) *Epist. II. ad Isidor.*

(e) *Inst. Orat. lib. XI. cap. 3.*

(f) *Orig. lib. XI. cap. 1.* vide quoque *PAULLIN. Epist. II.*

(g) *Obs. lib. II. cap. 40.*

§. IV.

Porro ex capite potissimum dignoscuntur homines. *Facies homini tantum* (a) immo hominum ipsorum *sua cuique facies* (b). Quapropter cum *in facie vultuque nostro sint decem aut paullo plura membra, nullae duae in tot millibus hominum indiscretae effigies exsistunt.* (c) Eleganter MINUTIUS FELIX (d) *Eadem figura omnibus, sed quaedam cuique lineamenta deflexa*, SEVERIANUS (e) Gabalorum Episcopus *Cum tam multae sint formae in tam multis millium millibus nulla est simi-*

similitudo. *Vel si orbis terrarum fines excurreris, neminem similem inveneris, aut si inveneris, praeterquam naso vel oculo, ut insolitae rei eluceat miraculum*. Neque alia de caussa scribit ARNOBIVS (*f*) *discrimina in vultibus data esse, nisi ut singuli se possent differentium signorum proprietatibus noscitare*.

(a) ARIST. *Hist. anim. lib.* 1. *cap.* 9. CIC. *de Legib. lib.* 1. *cap.* 9. PLIN. *H. N. lib. XI. cap.* 37.
(b) PLIN. *H. N. lib. XI. cap.* 51.
(c) Idem. *lib. VII. cap.* I.
(d) *Octav. cap. XVIII.*
(e) *De mundi creat. Orat. III.*
(f) *Lib. III. p.* 125.

§. V.

Cadaver ἄσαρκος, vel capite destitutum, quoniam abest vultus, aut *unum vultum et immobilem possidet* (*) ignoti est nominis. Repertum est Romae in tabula marmorea venustissimum epigramma Graecum, quod pari elegantia vertebat VITVS M. GIOVENAZZIVS (*a*).

Quis osseam, Viator, intuens formam
Hylasne fuerim dicat, anne Thersites?

Vir doctissimus *osseam formam* se dixisse putaverat cum OVIDIO *in Ibin*: at is *larvam* dixerat (*b*).

 Bel-

Bella geram tecum: nec mors mihi finiet iras
Saeva sed in manes manibus arma dabit.
Tum quoque cum vacuas fuero dilapsus in auras,
Exanimis mores oderit umbra tuos.
Tum quoque factorum veniam memor umbra tuorum,
Insequar et vultus OSSEA LARVA *tuos.*

Larva autem proprie τȣ̃ σκελέτȣ significationem penes Latinos nanciscitur. PETRONIVS (*c*) *LARVAM argenteam attulit servus sic aptatam, ut articuli eius vertebraeque laxatae in omnem partem verterentur. Hanc cum super mensam semel iterumque abiecisset, et catenatio mobilis aliquot figuras exprimeret, Trimalchio adiecit*

Heu heu nos miseros, quam totus homuncio nil est!
Sic erimus cuncti posquam nos auferet Orcus,
Ergo vivamus dum licet esse bene.

Ad rem facit achates antiquus a GORIO (*d*) descriptus. In lectulo triclinii discumbunt vir et uxor: adiicitur lemma sequens.

ΠΑΡΔΑΛΑ ΕCΘΙΕ ΠΕΙ
ΝΕ ΤΡΥΦΑ ΠΕΡΙΛΑ
ΜΒΑΝΕ ΘΑΝΕΙΝ CΕΔΕΙ Ο ΓΑΡ
ΧΡΟΝΟC ΟΛΙΓΟC
ΑΧΑΙΙ
ΖΗCΑΙC

Vertas licet: *Pardala . ede . bibe . deliciare . amplectere . mori . te . oportet . quia tempus . breve .*
Achiva
vivas.

Haec ita accipio . Achiva coniux Pardalam virum prioribus verbis compellat; eumque ad comessandum provocat: dein Pardala uxori obtemperans bibit, superdicens, ΑΧΑΙΙ ΖΗCΑΙC, quae formula erat propinandi apud veteres. Aliam inscriptionem referunt GRVTERVS (*e*) et FABRETTVS (*f*).

D. M.
SANDALIVS . DICIT
AMBVLA . SEQVERE
ME . CVM . OENOFORO
CVM . CALICE . ET
TAPANTIONE

ubi, ni fallor, *tapantio* idem est quod *conger-*

gerro, sicuti *tapanta* PETRONIO (*g*) dicitur uxor Trimalchionis Fortunata, scilicet ex Graeco τὰ πάντα „ *Uxor Trimalchionis Fortunata appellatur, quae numos modio metitur. Et modo quid fuit? Ignoscet mihi Genius tuus: noluisses de manu eius panem accipere. Nunc nec quid nec quare, in caelum abiit; et Trimalchionis TAPANTA est*. Sed age in viam. *Larvam* illam, cuius meminit idem PETRONIVS in fragmento superius adducto, GLOSSARIVM Petronianum interpretatur *Sceletum aptum et coagmentatum*. GLOSSAE VETERES. Σκελετός *Larva*, *Sceletus*. GLOSSAE LAT GR. (*h*) *Sceletus*, *larva nudis ossibus cohaerens*. Glossographus haec petivit procul dubio ex L. SENECA (*i*). Audi Philosophum *Nemo tam puer est, ut Cerberum timeat, et tenebras, et Larvarum habitum nudis ossibus cohaerentium*. Elegantissime igitur OVIDIVS larvam dixit *osseam*, quia mali lemures, sive larvae sub ossea figura sceleti occurrere credebantur. Immo et ita mortuorum umbras in theatris productas opinor, non forma tantum pallida et macilenta, ut ex Grammati-

cis

cis tradit IVL. CAES. SCALIGER (*k*) Prostat inter monumenta Matthaeiana (*l*) larva quaedam scenica nudam exhibens calvariam, et omnino cadaverinam. Similem aliam deprehendi apud FICORONVM (*m*). Vir doctus AMADVTIVS (*n*) autumat huiuscemodi larva usos veteres in theatro ut simulacrum mortis exprimerent: sed et diceres hac specie lemures consuevisse exhiberi. Coronidis loco addo, gigantum horrificam praetulisse imaginem defunctorum phantasmata. VIRGILIVS (*o*)

Infelix simulacrum atque ipsius umbra Creusae
Visa tibi ante oculos, et nota maior imago.

SENECA (*p*)

Vaga per lucos simulacra virum
Majora viris.

IDEM alibi (*q*)

Maiora notis monstra

PLINIVS (*r*) *Offertur ei mulieris figura humanâ grandior pulcriorque.* TACITVS (*s*) *Oblata ei species muliebris ultra modum humanum.* Monumentum M. Lucceii (*t*) de idolo mortui.

Maior erat notâ corporis effigie.

Formido enim nocturna mirum quantum adaugeat umbras et corpora. VAL. FLACCVS (*u*)

. . . ignota captus regione viarum
Noctivagum qui carpit iter, non aure quiescit
Non oculis, noctisque metum niger auget utrimque
Campus, et occurrens umbris maioribus arbor.

(*) APVLEIUS *Apolog. p.* 342.

(a) *Schol. ad Vatican. Livii Fragment. pag. XLVI.*

(b) *in Ibin. v.* 139. *seqq.*

(c) *Satyric. cap. XXXIV.*

(d) *In Columbar. Liviae Augustae tit. CLXXXVIII. pag.* 213.

(e) *Pag. DCLI I. n.* 2.

(f) *Cap. X. p. DCCV.*

(g) *Fragm. Tragurit. p. . . .*

(h) Conf. PP. MAVRINOS ad CANG. *Glossar. h. v. p.* 210.

(i) *Epist. XXIV.*

(k) *Art. Poet. lib.* 1. *cap.* 16. *p.* 24. *D.*

(l) *Vol. II. tab. LXXXV. fig.* 5.

(m) *De Larvis. tab. XLIX.*

(n) *Ad Monum. Matthaeian. l. cit.*

(o) *AEneid. lib. II. v.* 772.

(p)

(p) *In Oedipo v.* 174.
(q) *In Thyeste v.* 674.
(r) *Lib. VIII. epist.* 27.
(s) *Annal. XI.*
(t) GRVTER. *p. MCXXIII. n.* 7.
(u) *Argon. lib. II. v.* 43.

§. VI.

Iam videbis PAVLLI nostri sententiam de principatu capitis, et rationem insuper quam subiungit, placuisse aliis non poenitendis ex antiquitate scriptoribus. Ad carmen illud VIRGILII (*a*).

Avulsumque humeris caput, et sine nomine corpus,

hoc pacto disserit SERVIVS. *Corpus sine agnitione, sine nomine: a capite enim quis nomen habet.* Concinit DONATVS (*b*). Ridiculum caput *pro toto homine: nemo enim ore contempto ex aliis membris velit hominem significare.* ISIDORVS Hispalensis (*c*). *Prima pars corporis caput, datumque illi hoc nomen eo quod sensus omnes et nervi inde initium capiant, atque ex eo omnis vivendi caussa oriatur, ibi enim omnes sensus apparent . . . Facies dicta ab effigie. Ibi est enim facta tota figura*

gura hominis , *et unius cuiusque personae cognitio* . Neque aliter accipio effatum Platonicum (*d*) *totum hominem in capite vultuque esse* , quam quod *inde cognoscimur* monente PAVLLO, sive quod sit *in capite uniuscuiusque personae cognitio*, ut ISIDORI sermone utar.

(a) *Aeneid. lib. II. v.* 558.
(b) In TERENT. *Andr.*
(c) *Orig. lib. XI. cap. I.*
(d) APVLEI. *de Dogm. Platon. p.* 36.

§. VII.

Observavi poetas huc respexisse non semel. Optime fingit VIRGILIVS (*a*) miseros Euryali et Nisi parentes eorum necem intellexisse statim ac *nota capita* adspexerunt. Contra scribit LVCANVS (*b*) in trunco Pompeii *nullam mansisse figuram*, eo quod capite orbatum iacebat. IDEM (*c*) alibi pingit parentes qui anxie disquirunt filiorum cadavera post caedem,

Cum iam tabe fluunt , confusaque tempore multo
Amisere notas .

Im-

Immo (*d*) describit quosdam ita sollicitos ut auderent.

. . . . cum qua cervice recisum
Conveniat quaesisse caput.

Mox etiam (*e*) de confuso Marii cum ceteris cadavere

Nec magis informes veniunt ad littora tranci
Qui medio periere freto: quid perdere fructum
Iuvit, et ut vilem Marii confundere vultum?
Ut scelus hoc Sullae, caedesque ostensa placeret
Agnoscendus erat.

(a) *Lib. IX. Aeneid. v. 466. seq.*
(b) *Civ. B. lib. VIII. v. 677.*
(c) *Lib. II. v. 166.*
(d) *v.* 172.
(e) *v.* 289.

§. VIII.

PAVLLVS docet cognosci nos ex capite, si eius fiat imago. Nemo hoc nescit: sed quaedam ad rem facientia lubet congerere in studiosorum gratiam. SOLINVS (*a*). *Si qui corporum formas aemulantur, postpositis quae reliqua sunt, ante omnia effigiant modum capitis, nec in alia membra prius lineas destinant quam*

quam ab ipsa, ut ita dixerim, figurarum arce auspicium faciant. PLINIVS (*b*). *Esse nobis curae solet ut facies nostra ab optimo quoque artifice exprimatur.* CAECIL. CYPRIANVS (*c*). *Ad defunctorum vultus per imaginem detinendos expressa simulacra.* ISIDORVS (*d*) *Simulacra a similitudine nuncupata, eo quod manus artificis ex lapide aliave materia eorum vultus imitantur in quorum honorem finguntur.* Animadverte statuas imaginesque ex capite et vultu potissimum expressas, nempe ut per caput et vultum simulacri exemplar noscatur. Conqueritur PLINIVS (*e*) permutari capita statuarum (erant enim plerumque exemptilia), idque opinor factum ut quisque maiorum suorum statuis capita apponeret pretiosioris materiae. Subdit auctor. *Adeo materiam conspici malunt homines quam se nosci.*

(a) *Epist. II. ad Autium, quae Polyhistori praemittitur.*

(b) *Lib. VII. Epist.* 33. Vide etiam *Lib. V. Epist.* 9.

(c) *De Idolor. Vanit. cap.* 1. adde VAL. MAX. *lib. III. cap.* 5. §. 1.

(d) *Orig. lib. VIII. cap.* 11.

(e) *H. N. Lib. XXXV. cap.* 2.

§. IX.

§. IX.

Quid fuerint clypei, disci, cycfi, apsides, pinaces, stylopinacia, protomae, opla, sthetaria, thoraces, thoracletae, docebunt SALMASIVS (*a*), et SPONIVS (*b*). *Clypeata imago Q. Ciceronis ingentibus lineamentis usque ad pectus ex more picta* memoratur MACROBIO (*c*). In hisce simulacris constat vultus rationem praecipuam fuisse habitam. Quare et *vultus* dicebantur. HORATIVS (*d*).

. . . . aera

Fortis Alexandri vultum simulantia . . .

et mox (*e*) ... *expressi vultus per aënea signa.* PLINIVS (*f*) *Vultus Epicuri per cubicula gestant*. Quo de more CICERO (*g*). *Epicuri imaginem non modo in tabulis nostri familiares, sed etiam in poculis et in anulis habent*. Etiam Academici Platonis effigiem in anulis gestabant (*h*).

(a) *Ad Trebell. Pollion.*
(b) *Sect. IV. p.* 152.
(c) *Saturn. lib. II. cap.* 3.
(d) *Lib. II. Epist.* 1. *v.* 240.
(e) *V.* 248.
(f) *H. N. Lib. XXXV. cap.* 2.

(g)

(g) *De Finib. lib. V. cap.* 1.

(h) B. EPIPHAN. *Haeres. XXVII.*

§. X.

Sacri vultus imagines sunt Imperatorum pectore tenus expressae (*a*). D. AMBROSIVS (*b*) *Sola aere fusa Principum capita*, *et ductos* vultus *de aere vel marmore adorari*. Item *facies*, *et vultus* dicuntur passim Caesarum effigies in numis percussae (*c*), qua de loquutione disserit IAC. GOTHOFREDVS (*d*). Testimoniis veterum ab eo congestis addo SOLINVM (*e*). *Pecunia signata disparibus* vultibus. Et quoniam si capitis imago fiat, inde cognoscimur; ex vultibus cusis in numismate antiquarii genuinum secernunt a spurio, vel falsas inscriptiones ab impostoribus adfictas detegunt (*f*).

(a) *L.* 1. *C. publ. laet. lib. XII.* VOPISC. *in Probo cap.* 23. *Dignitatem Probi Imperatores nostri prudenter et consecrandam vultibus*, *et ornandam templis*, *et celebrandam ludis circensibus iudicarunt*.

(b) Relatus a CVIACIO *Obs. lib. XXI. cap.* 4.

(c) *L.* 3. *C. de vet. num. potest. L.* 1. *C. Th. si quis sol. circ. exter. incid.*

(d) *Ad d. l.* 1. *C. Th. tom.* III. *p.* 183.

(e) *Polyhist. Cap. LVI.*

(f)

(f) IOBERT. *Scient. Numism. Instruct. X.*

§. XI.

Cum veteres opinarentur totum hominem in capite esse, praesertim quod caput ac vultus Titium a Seio distingueret, nil mirum si in sepeliendo cadavere maximopere curarint ne caput inhumatum relinqueretur. ARCHYTAS ad nautam (*a*).

At tu nauta vagae ne parce malignus arenae
Ossibus et capiti inhumato
Particulam dare . . . .

Quandoque etiam solo capiti honorem sepulturae tributum legimus. Refert VELLEIVS (*b*) *caput Vari abscissum latumque ad Merobaudem, et ab eo missum ad Caesarem gentilitii tumuli sepultura honoratum fuisse*. IVL. CAPITOLINVS (*c*). *Marcus non exsultavit interfectione Cassii, caputque eius humari iussit*. De Pompeii capite LVCANVS (*d*)

I modo securus veniae, fassusque sepulcrum
Posce caput: cogit pietas imponere finem
Officio.

Immanis iniuria mortuo fieri putabatur si quan-

quando eius caput insepultum circumferretur hastae vel sudi infixum (*e*).

(a) HORAT. *Lib.* I. *Od.* 28. *v.* 23.

(b) *Lib. II. cap.* 119. *sect.* 5.

(c) in *M. Ant. Philos. p. XCII.*

(d) *Civ. B. Lib. VIII. v.* 784.

(e) Vide quae innumera corradit DEMPSTER. *ad* ROSIN. *lib. X. cap.* 10. quibus addenda narratio HERODIANI *lib.* I. *cap.* 13.

§. XII.

In epigrammate Homerici sepulcri quod visebatur in Io insula (*a*) et relatum quoque est in Anthologiam (*b*) haec legimus.

Ἐνθάδε τὴν ἱερὴν κεφαλὴν κατὰ γαῖα καλύπτει
Ἀνδρῶν ἡρώων κοσμήτορα θεῖον Ὅμηρον

Latine vertitur

Condit humus caput haec sacrum qui versibus arma
Fortia divinis heroum ornavit Homerum.

Prodiit Liburni an. MDCCLXXIII. opusculum HENR. KRIENEN militis Moschi, quo se se reperisse iactat in insula Io sepulcrum Homericum cum pervulgato isto epigrammate. Sed quis tam glorioso adsentiatur militi?

Hic

Hic etiam (ut noscas ingenium) CLEMENTI XIV. Pontifici Maximo obtrudere infeliciter tentavit in alabastro manum Sesostris cum inscriptione ΣΕΘΩΝΣΟΣ ΧΕΙΡΑ. Nomen illius Regis varie effertur, *Vexoris*, *Suexosis*, *Sesoosis*, *Sesonchosis* (c), sed *Sethonsis* vocabatur scilicet, et cuius nomen evanuit, iam superest manus integra labore et cura KRIENENII eruta post annos bismille octingentos. (d) Risum teneatis amici ? At ego demiror paene credulum fuisse tam grandibus nugis CHRISTOPH. AMADVTIVM virum eruditissimum, atque hypercriticum. (e) Sed ut absolvamus historiam Homerici epigrammatis, monemus etiam hodie exstare Neapoli in sacello IOVIANI PONTANI marmor sane antiquum, in eoque insculpta carmina ipsissima quae retulimus, nisi quod *Homero* extruso Α᾿λκειβιάδην subiecit marmorarius. IACOB. MARTORELLIVS nil de Homerico sepulcro cogitans, mira de tam novis metri legibus hariolabatur, atque ita vertebat latine

Praeclari capitis pignus hic terra recondit
Qui fuit heroum dux, et decus almum Alcibiades.

(a)

(a) HERODOT. *in vita*, nisi alius sit auctor opusculi.

(b) *Lib. III. epigr.* 3.

(c) ISAAC. VOSS. ad *IVSTIN. lib.* 1. *cap.* 1. *et lib.* 11. *cap.* 3.

(d) Vid. MARSHAM. *ad Saec. XIV. et XV.*

(e) *In Comment. ad monum. matthaeiana vol.* 11. *Tab.* 8. *fig.* 4.

§. XII.

Denique advertes *sacrum* dici *caput* non in epigrammate solum Homerico, sed et alibi. PLATO (*a*) *Principio Dii figuram capitis ad rotunditatem mundi finxere, in eoque duos illos animae divinae circuitus statuerunt. Est autem caput membrum corporis divinissimum, reliquorumque membrorum princeps.* Hinc per caput iurabant veteres (*b*). VLPIANVS: (*c*) *Si ego detuli ut per Deum iurares, tu per caput tuum iurasti.* Praecipue post mortem humana capita Plutoni devota adeoque *sacra* putabantur (*d*). Lubet cum VIRGILIO (*e*) desinere

Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem
Abstulerat, Stygioque caput damnaverat Orco.

Ergo

Ergo Iris croceis per caelum roscida pennis
Devolat, et supra caput adstitit. Hunc ego Diti
Sacrum iussa fero teque isto corpore solvo.
Sic ait et dextra crinem secat; omnis et una
Dilapsus calor, atque in ventos vita recessit.

(a) *In Timaeo p.* 481. *col.* 2. *ex vers.* FICINI.

(b) VIRG. *Aeneid. lib. IX. v.* 380. OVID. *Heroid III. v.* 107. & *Pont. Lib. III. Eleg.* 3. *v.* 68. IVVEN. *Sat. VI. v.* 16.

(c) *L.*3. §.4. *ff. de iureiur.* ubi GOTHOFR. *n.*23. aliorum testimonia cumulat.

(d) MACROB. *Saturn. lib.* 1. *cap.* 7. huius opinionis originem indicare videtur. Auctor *Consolationis ad Liviam v.* 253.

Flamma diu cunctata caput contingere sacrum
Erravit posito lenta sub usque toro.

(e) *Aeneid. lib. IV. v.* 699.

CAPVT III.

Asseritur lectio recepta *L. 7. §. 3. ff. de bon. damn.*

IVL. PAVLLVS lib. sing. de portionibus quae liberis damnatorum conceduntur. *Si plures filios damnatus habeat, feruntur exempla, per quae pluribus liberis omnia bona damnati concessa sunt. Sed et Divus Hadrianus in hac sententia rescripsit. Favòrabilem apud me caussam liberorum Albini, filiorum numerus facit: cum ampliare imperium hominum adiectione potius quam pecuniarum copia malim. Ideoque illis paterna sua concedi volo, quae manifestabunt tot possessores, etiamsi acceperint universa.*

I. Constantem esse in postremis verbis lectionem librorum omnium fatetur BYNKERSHOEKIVS (*a*). Sed et ipse, et quivis alius negare non possunt maximam subesse in eo sermone difficultatêm. Hinc Vir Cl. emendat. *Quaenam infestabunt tot possessores, etiamsi acceperint universa?* et mox aliter. *Quae manifeste dabunt tot possessores, etiam si acce-*

ceperint universa. Cl. CONRADVS *Parerg.cap.6.* §. 4. *et* 5. mavult emendare *quae manifestabunt* TOTA *possessores*, licet WIELINGIO *Lect. Iur. Civ. lib. II. cap.* 10. §. 9. eiusmodi mutatio improbetur.

II. Ego vero crisim truculentam procul abesse iubeo, et WIELINGII duriore interpretamento non utor: nam sola interpunctione peccarunt hic sequiores librarii, et res facillime transigi potest, si per censores licet. Ita mecum distingue. *Ideoque illis paterna sua concedi volo quae manifestabunt, tot possessores etiamsi acceperint universa*.

III. Rem totam brevi aperiam. Damnatorum bona a Principe obtinebant plerique importunis precibus. AMMIANVS (*b*). *Sunt in Palatiis nonnulli alienarum rerum avidi, si qui caducum vel aliud petissent ex usu*, etc.. *Petitores* dicebantur et *competitores* (*c*) item *flagitatores* (*d*).

IV. Plerique igitur *petitores* patrimonium damnati Albini a Fisco acceptum inter se diviserant. Hadrianus hoc aureo rescripto iussit concedi Albini liberis bona quae *manife-*

starent paterna, scilicet quae probarent in patris dominio fuisse. PATERNA SVA CONCEDI VOLO QVAE MANIFESTABVNT. Addidit nihil referre quod bona Albini universa tot possessores iam accepissent. CONCEDI VOLO, ETIAMSI TOT POSSESSORES ACCEPERINT VNIVERSA.

(a) *Obs. lib. II. cap. 16.*

(b) *Lib. XXXI. p.* 835. vide & SYMMACH. *lib. X. epist.* 55.

(c) *L.* 1. *&* 2. *C. de petit. bonor. sublat. lib. X. L. II. C. de murileg. lib. XI.* Vide IAC. GOTHOFR. *in Paratitlo ad Cod. Th. lib. X. tit.* 10. *de petitionib. & ultro datis, & delatoribus tom. III. p.* 428.

(d) AMMIAN. *lib. XXI. in fin.*

CAPUT IV.

Varia de Maleficis et Mathematicis, deque Exorcismo Paganorum.

VLPIANVS lib. VII. de offic. Procos. in Collat. Legum Mosaic. et Romanarum Tit. XV. §. 3.

Interdicta est Mathematicorum callida impostura, et obstinacitate persuasio. Nec hodie pri-

primum interdici eis placuit , sed vetus haec prohibitio est . Denique exstat SC. Pomponio et Rufo Coss. factum , quo cavetur ut Mathematicis , Chaldaeis , Ariolis , et ceteris qui similem incertum facerent , aqua et igni interdicatur , omniaque bona eorum publicentur . Et sic aeternus gentium , qui si id fecerit ut in eum animadvertatur . Sed fuit quaesitum utrum scientia huiusmodi hominum puniatur , an exercitio et professio . Et quidem apud veteres dicebatur professionem eorum , non notitiam esse prohibitam . Postea variatum : nam dissimulandum non est , nonnumquam irrepsisse in usum ut etiam profiterentur , et publice reprehenderent : quod quidem per temeritatem eorum factum est , qui visi fuerunt vel consulere vel exercere quam qui fuerat permissum . Saepissime denique interdictum est fere ab omnibus Principibus , ne quis omnino eiusmodi ineptiis se immisceret , et varie puniti sunt hi qui id exercuerunt mensura scilicet et consultationis . Nam qui de Principis salute , capite puniti sunt , vel qua alia gravi poena adfecti : enimvero si qui de sua suorumque levius .

§. I.

ICti nostri libertatem, ac philosophiam admirari non desino. *Callidam imposturam*, et *ineptias* hoc loco magiam, et vaticinia nuncupat. Etiam alibi (*a*). *Si incantavit, si imprecatus est, si ut vulgari verbo impostorum utar, exorcizavit: non sunt ista medicinae genera, tametsi sint, qui sibi profuisse cum praedicatione adfirment*. Haec de Christianis accipiunt LECTIVS, D. GOTHOFREDUS, CAR. ANNIBAL FABROTVS, DV-CANGE (*b*) Immo H. GROTIVS (*c*): *Valde iniquus Christianis fuit Ulpianus homo Tyrius, ut qui de poenis Christianorum scripserit libros complures*. Cogitabat procul dubio vir magnus de celebri loco LACTANTII (*d*). *Domitius de Officio Proconsulis libris VII. Rescripta Principum nefaria collegit, ut doceret quibus adfici oporteret eos qui se cultores Dei profiterentur*. Sed CVIACIVS (*e*) iamdiu observaverat legi oportere. *Domitius de Officio Proconsulis libro VII.* Hunc deinde sequuti sunt MENAGIVS (*f*) BYNKERSHOEKIVS (*g*) HEINECCIVS (*h*). Favent etiam codices manu exarati a MICH. THO-

THOMASIO consulti (*i*) . Frustra igitur est GROTIVS qui putavit odium illud in Christianos evomuisse ICtum nostrum peculiari tractatione composita . Ignoscendum homini pagano si de rebus agens ad religionem pertinentibus libro illo *VII. de Offic. Procos.* inter alia , etiam Rescripta et Constitutiones Principales de Christianis collegit . Sed redeo ad *exorcistas* , quos impostores iudicabat VLPIANVS , et nego taxari ista iniuria Christianos . Iudaeis attribuit ICti verba MERILLIVS (*k*) : nam et Iudaei exorcizabant , quod ille probat ex LVCIANO , et IVSTINO Martyre . Addendi TERTVLLIANVS (*l*) IRENAEVS (*m*) ORIGENES (*n*) EPIPHANIVS (*o*), qui Iudaeos exorcizasse testantur . Idem passim legimus in Sanctis Bibliis Novi Testamenti (*p*) . IOSEPHVS (*q*) exorcizandi artem a Salomone primum traditam , atque ita inter Hebraeos propagatam fabulatur . Neque vero in virtute Creatoris eosdem exorcizasse indicio est narratio illa , quam subdit IOSEPHVS de Eleazaro . Is coram Vespasiano , et Romanorum exercitu daemonia expellebat virtute cuiusdam radicis

annulo inclusae. Hanc radicem IOSEPHVS alibi (r) *baaras* vocat.

(a) *L.* 1. §. 3. *ff. de extr. cogn.*

(b) *In Glossar.*

(c) *In Flor. Spars. ad h. l.*

(d) *Div. Inst. lib. V. cap.* 10.

(e) *Obs. lib. X. cap.* 34.

(f) *Amoen. Iur. Civ. cap. XII.*

(g) *Obs. lib. V. cap.* 23. *& De Relig. Peregr. Dissert. I.*

(h) *Hist. Iur. lib. I. cap.* 4. §. 339. *in not.*

(i) *In adn. ad* LACT. *l. cit.*

(k) *Obs. lib. V. cap.* 22.

(l) *Adv. Marcion. lib. IV. cap.* 26.

(m) *Lib. II. cap.* 5.

(n) *Contra Cels. lib. I. & IV. & Tract. XXXV. in Matth. XXVII.* 63.

(o) *Haeres. XX.*

(p) MATTH. *Cap. XII. v.* 27. MARC. *cap. IX. v.* 37. LVC. *cap. IX. v.* 49. *Act. Apost. cap. XIX. v.* 14.

(q) *Antiq. Iud. lib. VIII. cap.* 2.

(r) *De B. Iud. lib. VII. cap.* 25.

§. II.

Sed et Pagani ipsi exorcizabant, quod nunc latius ostendere est animus. Exorcismus a Graeco *ἐξορκίζειν* *sermo increpationis* est (a). Atqui Pagani energumenos suos agno-

gnoscebant, quos numinum afflatu in furorem actos coniuratione sive *sermone* illo *increpationis* liberabant.

Putaveram olim *energumenos* paganorum fuisse, qui VLPIANO *Fanatici* dicuntur, ubi docet, eosdem non redhiberi (*b*) : atque ita sane GVL. BVDAEVS (*c*) *Fanaticos* acceperat. Sed ego in aliam deinde sententiam veni, et mox tradam, postquam interpretationes aliorum leviter tetigerim.

Scholiastae Basilicorum perperam explicant *febri delirantes*; nam plane isti redhiberi possunt (*d*). STEPH. FORCATVLVS (*d*) *initiatos Bacchicos*, contra BARN. BRISSONIVS (*f*) *Semiviros Cybeles* designari *Fanaticorum* nomine crediderunt. Sed PRVDENTIVS (*g*) de his praesertim

Furere, ac rotare IVS putatur MYSTICVM,

neque *ius mysticum* veluti insaniam traduxisset VLPIANVS. Satis alibi probatum dedimus (*h*) quanta religione mysteria prosequerentur viri in Republica praeclarissimi. Alii (*i*) *Fanaticos* interpretantur *Fanorum sacrificu-*

ficulos, nec diffiteor in tali significatione plerumque occurrere (*k*) ; sed de servis *Fanaticis* VLPIANVS agebat , ac velim doceant, ubinam gentium servi fuerint Sacerdotes; ut necesse iam sit de aliis omnino *Fanaticis* cogitare .

Nos vero observamus in fragmento ICti haec de *fanaticis* referri . I. eosdem *circa fana bacchari* solitos, et *iactare caput* . II. aliqua *profari*, seu *responsa reddere*. III. id per *luxuriam* factitasse . Neque ergo *fanatici* sunt Bacchici , aut Galli , aut ceteri denique Sacrificuli ; sed homunciones cerebrosi , et verberones nequissimi ante fana miris modis insanientes, ac vaticinia effutientes ridicula , ut in popularium celebritate tamquam numine afflati suspicerentur .

Porro *fanatici* antequam occiperent imposturam, publice excipiebant numen . Ex altari enim fumum turis incensi , hiatu quantum poterant maximo et patulis naribus , hauriebant . Ritum indicare videtur TATIANVS (*l*) . *Est quae potu aquae insanit, vel ture adhibito demens fit ; hanc tu*

va-

vaticinari dicis . Disertissime TERTVLLIANVS (*m*) . *Producatur aliquis ex iis qui de Deo pati existimantur, qui aris inhalantes numen de nidore concipiunt , qui ructando curantur , qui anhelando profantur* . Recte *profantur* in optimis libris habetur : et male IAC. PAMELIVS (*n*) reposuit *praefantur* . *Fanatici* etiam VLPIANO (*o*) *profari* dicuntur , i. e. *responsa reddere* . Quare et *Vates* audiebant . MINVT. FELIX (*p*) *Vates et ipsi* absque templo *sic insaniunt, sic bacchantur, sic rotantur* . Melius legeretur, *Vates et ipsi* ante templa *sic insaniunt* etc. De his IVSTIN. (*q*) *Fauno fuit uxor nomine Fatua , quae assidue divino spiritu impleta, velut per furorem futura praemonebat : unde adhuc qui inspirantur fatuari dicuntur* . Ludiones nostri amabant ineptire ac desipere in corona stultorum *circa fana ob luxuriam* , et animi levitatem teste ICto . Addo etiam servos ancillasque gregi fanaticorum dedisse nomen domino tolerante , quia ex artificio vaticinii peculium non mediocre corrogabant . B. LVCAS (*r*) . *Factum est autem euntibus nobis ad orationem, puel-*

puellam quamdam habentem spiritum Pythonem obviare nobis , quae quaestum magnum praestabat dominis suis divinando . . . . Videntes autem domini eius quia exivit spes quaestus eorum etc. Neque vero negaverim, hanc ancillam fanaticam Apollinis Pythii vere fuisse daemoniacam. Sed impostores plerumque eiusmodi ministerio functos oportuit . Ex his colligo *fanaticos* dici VLPIANO homines de plebis faece ad fani vestibulum vaticinia simulantes ut lucellum vel gloriolam inde captarent : atque isti sacrificulis , vel certe *energumenis* non videntur adcensendi.

(a) IESSE Episcopus in Epistola. *Bibl. PP. tom. XIV. p.* 68. AMALARIVS FORTVNATVS *de Eccl. Offic. lib.* 1. *cap.* 12. GVIBERTVS Tornacensis *de Offic. Episc. Cap. XLI.*

(b) *L.* 1. §. 9. 10. *ff. de edilic. aedict.*

(c) *In adn. ad h. l.*

(d) *L.* 4. §. 1. *ff. eod.*

(e) *Necyomant. Dial. LXXXVIII. p.* 196.

(f) *Antiq. Select. l. II. cap.* 13.

(g) In *Romano*.

(h) *Comment. ad marmor Baianum p. XVI.*

(i) VOSS. *in Etym. v. Fanum.* HEINECC. ad BRISSON. *de Verb. sign. h. v.*

§. III.

(k) HEINEC. citat ex REINES. inscriptionem unicam *class. XIV. n.*139. Adde GRVT. *p.* 312. *n.*7. *p.* 654. *n.*6. *p.* 313. *n.* 1.

(l) *Orat. contra Graecos p. CXCIX.*

(m) *Apolog. cap. XXIII.*

(n) *Comment. ad h. loc. n.* 359.

(o) *L.* 1. §. 10. *ff. de aedil. edict.*

(p) *Octav. cap. XXVII. sect.* 3.

(q) *Hist. lib. XLII. cap.* 1.

(r) *Act. Apost. cap. XVI. v.* 16. *v.* 19.

§. III.

VLPIANVS noster (*a*) nominans quosdam alibi, *qui per vicos more insanorum deridenda loquebantur* videtur de *energumenis* loquutus, nempe de *larvatis*. *Larvis exterritos* FESTVS explicat, et NONIVS homines *larvarum incursatione animo vexatos*. PLINIVS (*b*) fuisse scribit qui *a nocturnis Diis, Faunisque agitarentur*. Nocturna numina *larvae* sunt, *maniae*, *empusae*, et alia id genus terriculamenta mortalium. Istos ergo Pagani putarunt a malo daemone percelli. Nostri enim scriptores hac de re tamquam satis pervulgata ad Gentiles loquuntur. TERTVLLIANVS (*c*). *Edatur hic aliquis sub tribunalibus vestris*,

quem

quem daemone agi constet. IVSTINVS Martyr (*d*) *Illi qui a larvis corripiuntur, atque humi abiiciuntur, quos a daemonibus correptos, seu arreptitios et furentes nominant omnes.* LACTANTIVS (*e*). *Is quem constat incursionem daemonis perpeti.* Et quidem, ut ICtus monet, per vicos discurrebant. MIN. FELIX (*f*) *Hi* (daemoniaci) *sunt et furentes, quos in publicum videtis excurrere.* Immo magicis artibus humo affligi homines daemone incursante iactabant, et hoc maleficium APVLEIO obiecit SICINIVS AEMILIANVS (*g*).

(a) *L. 4. §. 1. ff. de aedil. edicto.*
(b) *H. N. lib. XXX. cap.* 10.
(c) *Apolog. Cap. XXIII.*
(d) *Apolog. II. ad Antonin. Pium p. XXIII. lit. F.*
(e) *Div. Inst. lib. IV. cap.* 27.
(f) *Octav. cap. XXVII.*
(g) *Perlege Apolog.* APVLEII *p.* 364. *seq.*

§. IV.

Erat et aliud furoris genus, quod veteres a diis immitti opinabantur. De Oreste, Athamante, Agave, Pentheo, Proetidibus, Lycurgo notae sunt fabulae (*a*). Sed praecipue morbum comitialem divinitus iniectum vul-

vulgus antiquorum tenuit. HERODOTVS (*b*) eo malo narrat correptum Cambysen ira numinis, quod Aegyptium templum violasset. Refert quoque PHILOTIMVS (*c*) aetate sua percrebuisse in plebe opinionem, quod morbi comitialis insania a Cybele, Neptuno, Apolline Nomio, vel Hecate immitteretur. Hinc dicebatur *ἱερα νόσος sacer morbus*, quidquid alii de veriloquio disputent.

Sicuti Graeci Hecaten huius mali auctorem, ita Romani Dianam faciebant, quia terrestris Hecate Diana est. HORATIVS (*d*)

Ut mala quem scabies, aut morbus regius urget,
Aut fanaticus error, et iracunda Diana
Vesanum fugiunt pueri etc.

Augebat fidem menstrua morbi reversio, quae Lunae sive Dianae cursum quodammodo imitatur ac sequitur (*e*). Hinc aeger *lunaticus* dicitur IVL. PAVLLO (*f*) et B. MATTHAEO Apostolo (*g*) σεληνιαζόμενς. Item B. HIERONYMVS (*h*). *Non vere lunaticus, sed qui putabatur lunaticus ob daemonum fallaciam, qui observantes lunaria tempora creaturam* infatua-

re

re (*i*) *cupiebant*, *ut in Creatorem blasphemiae redundarent*. Christianos daemoniorum incursum hoc in morbo agnovisse vel unus iste HIERONYMI locus indigitat. Pariter ISIDORVS (*k*). *Haec passio caduca vocatur eo quod cadens aeger spasmum patiatur*. *Hos et vulgus lunaticos vocat*, *quod per lunae cursum comitetur eos insania daemonum*. *Idem et larvatio*. *Ipse etiam est morbus comitialis idest maior*, *et diutinus* (melius lego *divinus*). Novissime DVRANDVS (*l*) *Energumeni sunt qui a daemonibus obsessi sunt*, *vel lunatici*, *sive morbum caducum patientes* ... *quia secundum defectum mentis in defectu lunae maxime patiuntur*. Sed et Synopsis Basilicorum (*m*) ubi IAVOLENVS (*n*) dicit *comitialem morbum habentes* vertit *δαιμονιζόμενον*. Atque ita etiam paganos credidisse eruimus ex PHILOTIMO (*o*): quia narrat in *morbi sacri* curatione verba circulatoris ad daemonium dirigi consuevisse. Immo ARETAEVS (*p*) disquirens cur morbus iste sacer ac divinus vocaretur, profert quorumdam sententiam, qui *lunaticos homines daemone corripi* iudicarunt.

(a)

(a) Insignis est locus EVRIP. *in Hippolyt. p.* 282.
(b) *lib. III.*
(c) *lib. de Morbo sacro cap. III.* Nunc libellum vulgo HIPPOCRATI adiudicant.
(d) *Art. Poet. v.* 453.
(e) MERCVRIAL. *Prax. lib. I. cap.* 26.
(f) *L.* 43. §. 6. *ff. de aedil. edict.*
(g) *Cap. IV. v.* 24. *& cap. XVII. v.* 15.
(h) *ad d. cap. IV.* MATTHAEI.
(i) Ita lego pro eo quod vulgo scribitur *infamare*.
(k) *Orig. lib. IV. cap.* 7.
(l) *Ration. Div. offic. lib. II. cap.* 6. §. 5.
(m) *Cap. XXXIX.*
(n) *L.* 53. *ff. de Aedil. edict.*
(o) *d. cap. III.*
(p) *Diut. Adfect. lib. I. cap.* 4.

§. V.

Lymphati, ac *Cerriti* notiores sunt, nec reducuntur in medium, praesertim cum ipse ab aliis praeoccupata pertractare nolim. Sed an *Lucumones* in hunc censum referendi? Plane FESTVS, vel si mavis PAVLLVS Diaconus in Epitome id videtur insinuare. *Lucumones quidam homines ob insaniam dicti, quod loca ad quae venissent, infesta facerent.* GER. VOSSIVS (*a*) plura disseruit de Lucumonibus, et ad Lycaonas con-

fugit, an ad rem viderint alii. ALEX. SYMMACHVS MAZOCHIVS (*b*) alia congessit scitu iucunda, et praesertim Lucumonis etymon derivat a לחן *lachan* h. e. *insidiari*. Neuter expedit obscurissimum Auctoris, vel Breviatoris locum. Sic statue. *Lucus* est a Graeco λοχιας *silva*: λοχιας a λοχος *insidiae*. Item *Silva* est a σύλη *praeda*. Etiam Hebraeis לחן *lochan* significat *insidias struere*. Denique latrones a Romulo in asylo collecti *Luceres* et *Lucerenses* audiebant a luco, et praeda, et insidiis, quia prisci homines rapto vivebant in saltibus. Quapropter *Lucumones* dixerim adpellatos quasi *luci homones* scil. homines silvicolas insidiis ac latrocinio famosos. Fragmentum FESTI ita restituo. *Lucumones quidam homines ob insidias dicti, quod lucos ad quos venissent infestos facerent*.

(a) *Etym. h. v.*

(b) In Auctar. ad voss. *l. cit.*

§. VI.

Recensitis larvatis, lunaticis, lymphatis, cerritis, et postquam probavi dilucide ut potui in re obscura, eosdem a paganis

ganis tamquam daemone correptos, sive energumenos fuisse habitos: nunc ostendam circulatores et aretalogos immo et mystas usurpasse ad curandos huiusmodi furiosos *exorcismum*.

Impostura plane fuit gentilium sacerdotum ut fano celebritatem, numini religionem, sibi lucrum compararent, miracula fingere (*a*), et idcirco submittere servulos ac populares mercede conductos, qui in ipso templi vestibulo miris modis insanirent, ut postea lustrationibus, aut sacrificio publice curati admirationem plebeculae concitarent. MINVT. FELIX (*b*) ita de daemonibus loquitur. *Morbos fingunt, terrent mentes, membra distorquent, ut ad cultum sui cogant, ut nidore altarium vel hostiis pecudum saginati, remissis quae constrinxerant curasse videantur.* Concinit LACTANTIVS (*c*). *Occulte in visceribus operti valetudinem vitiant, morbos citant, somniis animos terrent, mentes furoribus quatiunt, ut homines his malis cogant ad eorum auxilia decurrere.* Colligo ex his, sacrificium plerumque fuisse adhibitum pro exorcismo. De sacrificio plane co-

gitabat PLAVTVS (*d*) ubi scripsit

Adulescens, quibus heic preciis porci veneunt
Sacres sinceri? Numum unum a me accipe;
Iube te piari de mea pecunia,
Nam ego quidem te esse insanum certo scio.

Et quidem porcos Laribus sacrificari solitos ad piandum insanum innuit VOSSIVS (*e*). Sed melius diceres piatos fuisse porci sacrificio *cerritos*, quia Ceres ipsos in furorem egisse putabatur (*f*), ac Cereri porcellos immolabant (*g*).

Quoad lunaticos; constat magos praecipue et circulatores eorum suscepisse curam, atque amuleto usos ex draconis cauda (*h*). Qui aderant, despuebant, ut iram Deorum a se procul averruncarent (*i*). Sed et sputamento ipsos epilepticos inficiebant, sperantes daemoniorum fugam. Hinc PLAVTVS (*k*)

Multos iste morbus homines macerat
Quibus insputari saluti fuit.

Item APVLEIVS. (*l*) *In cubiculo despuuntur caduci comitiales*. Suspicor hoc factum tum

quod

quod ominosa omnia et dira spuendo exsecrabantur veteres, tum etiam quod serpentes sputo fugari atque interfici (*m*), et daemones serpentum imaginem indolemque habere opinarentur. Iam hoc postremum IOANNES LAMIVS optime demonstravit in Dissert. singulari de *serpentibus sacris*. Huc etiam facit Inscriptio DONIANA (*n*).

CARPVS AVG. L.
PALLANTIANVS
SANCTIS
DRACONIBVS
DD.

(a) Vide GRVT. *p. LXXI.* CHRISTOPH. AVG. HEVMANN. in Disp. *de Mirac. Vespasiani*. CVDWORTH. *Syst. Int. cap. IV.* §. 15. ubi MOSSHEIM *&c.*

(b) *Octav. cap. XXVII. sect.* 3.

(c) *Div. Inst. lib.* 2. *cap.* 14.

(d) *Menaechm. Act. II. sect.* 2. *v.* 15. Memini VARRONEM de R. R. aliter hunc PLAVTI locum efferre Adeundus.

(e) *Etym. v. Sacer.*

(f)

(g) OVID. *Fast. lib. I. v.* 349. *Conf. Monum. Matthaeiana vol. I. class. VI. tab. LXXI.*

(h) PLIN. *H. N. lib. XXX. cap.* 10.

D 3 (i)

(i) Idem *lib. XXVIII. cap.* 4.

(k) *Capt. act. III. sc.* 4. *v.* 21.

(l) *Apologia*.

(m) ARIST. *Hist. Anim. lib. VIII. cap.* 33. NICANDER *in Theriac. p.* 9. AELIAN. *Hist. Anim. lib.* 2. *cap.* 24. AETIVS *Med. lib. II. cap.* 107. PLIN. *H. N. lib. VII. cap.* 2. *et d. lib. XXVIII. cap.* 4.

(n) *Class. I. n.* 59.

§. VII.

Neque tamen solo sacrificio, amuleto, aut sputamento daemoniacos exorcizabant circulatores pagani, sed et verborum coniuratione. Praetereo anilia incantamenta ad leniendos dolores. De his fuse disserunt I. GOTHOFREDVS (*a*) et S. H. VAN IDSINGA (*b*) ac testimoniis quae ipsi congerunt adiungendi GELLIVS (*c*) et COEL. AVRELIANVS (*d*). De exorcismo proprie accepto loquor, sive de coniuratione energumeni.

Narrat PHILOTIMVS (*e*) in curandis comitialibus *verba ad Deum ac Daemonium dirigi*, ad *Deum* nempe qui movisse mentem putabatur, veluti ad Cybelen, Dianam, Apollinem Pastorium, itemque ad *Daemonem* cuius animatione aeger insaniebat. Quaelibet enim

nim numina suos *daemones* quasi satellites, et ministros habebant. Porro illa verba impostorum *movebant Deum*, et *Numini imperabant* (*f*) ut agnoscas verum sermonem increpationis, sive *exorcismum*. Rem totam expedit elegantissimum FESTI (*g*) fragmentum. *Piari eos veluti proprio verbo ait Verrius, qui parum sint animati cum mentis suae non sint, et per quaedam verba liberentur incommodo*. Idem PHILOTIMVS (*h*) incantatione liberatos refert caducos ab *expiatoribus*, *magis*, et *circulatoribus*, quorum *simulatam vitae sanctimoniam* reprehendit. Apollonius, opinor, ex his unus fuit: et plane eiusdem exorcismi in amoenis PHILOSTRATI fabulis utramque paginam faciunt (*i*).

VLPIANVS ergo noster (*k*) *incantationes*, *imprecationes*, *et exorcismos* commemorat vel Iudaeorum, vel potius vulgarium *impostorum* sive circulatorum temporis sui. De Christianis quidem non ita aperte loquitur, sicuti volunt qui odium ICti in Christianos inde potissimum coniectant, quod *exorcismis* parum credulus fuerit. Hoc unum constat, et vul-

gi exorcismis, et divinationibus, et magicis quibuscumque artibus VLPIANVM fuisse infensimum, eaque omnia ceu putidum commentum, subdolamque imposturam non raro exagitasse gravi illa irrisione, et sanna Philosophorum. Quapropter docuimus aliquando (*l*) et variis argumentis evicimus ejusdem VLPIANI verba de *saccalariis* (*m*) non esse referenda ad *praestigiatores* cum magno CVIACIO (*n*), sed omnino adplicanda *sectoribus zonariis* τοῖς βαλαντιοτόμοις.

(a) *ad L. 3. C. Th. de malef.*

(b) *Varior. Iur. Civ. cap. XVI.*

(c) *N. A. lib. IV. cap. 13.*

(d) *lib. I. cap. 5.*

(e) *lib. de Morbo Sacro cap. III.*

(f) PLIN. *H. N. lib. XXVIII. cap. 2. sect. 4.*

(g) *v. Piari.*

(h) *l. cit. cap. II.*

(i)

(k) *l. 1. §. 3. ff. de extr. cognit.*

(l) *Obs. Crim. ad* FRANC. IOS. DE ANGELIS *Part. III. §. 678.*

(m) *L. 7. ff. de extr. crim.*

(n) *Obs. lib. X. cap. 27.*

§. VIII.

§. VIII.

Nunc eo redeo, unde aberraveram. VLPIANVS in descripto Fragmento primum ait. *Interdicta est Mathematicorum callida impostura, et OBSTINACITATE persuasio*. Mallem rescribas, *obstinata caecitate persuasio*. Numquam enim deprehendi *obstinacitatem* in auctoribus.

Mox. *Chaldaeis, Ariolis, et ceteris qui similem INCERTVM fecerunt, aqua et igni interdicatur*. PITHOEVS emendat, *qui similem artem*; nimis duriter: LIPSIVS, *similem quaestum* satis licenter: IOS. NERIVS, (a) *similem incentum*, ut sermo ad magicas *incentiones* referatur. Cedo auctorem. Ego vero miror doctissimos criticos viam regiam non trivisse. Legendum erat, *qui similem INCEPTVM fecerunt* i. e. mercimonium et quaestum. Artificium nempe huiusmodi nonnisi lucelli spe vilissimi homines profitebantur. Sic impostor ille Chaldaeus memoratus APVLEIO (b) *arcana fatorum stipibus emerendis edicebat in vulgus*. Pulcre VAL. MAXIMVS (c) Chaldaeos ait *quaestuosam mendaciis suis caliginem iniecisse*, quoniam obscuris ambagibus involvebant

bant responsa ad uberiorem *quaestum* . VLPIANVS SCtum commemorat Pomponio et Rufo Coss. factum de eiiciendis Chaldaeis, scil. L. Pomponio Flacco et C. Caelio Rufo Coss. anno urbis 770. , anno post SC. Libonianum, biennio ante L. Iuliam Norbanam . Sed et Vitellius edicto iussit *intra Kalend. Octobris urbe Italiaque mathematici excederent* (*d*) et olim *T. Cornelius Hispallus praetor peregrinus* , *M. Popillio Laenate Cn. Calpurnio Coss.*, *edicto Chaldaeos intra decimum diem abire ex urbe atque Italia iussit* (*e*) . Nihilominus hoc malum vetitum semper et retentum fuit : adeo falli et fallere hominibus dulce est .

Sequitur . *Et sic aeternus gentium, qui si id fecerit*, *ut in eum animadvertatur*. SCHVLTINGIVS testatur *externus* legi in plerisque Codicibus ubi vulgo est *aeternus* ; sed putat hic non mediocrem subesse lacunam . Profecto abruptus cernitur sermo et perplexus . Optime cum NERIO nostro ita restitues: *Et si caeterarum gentium quis id fecerit* , *ut in eum animadvertatur* . Neque tamen IOS. NERIVS ,

ne-

neque alius quem sciam, explicaverunt hanc sententiam. Rem ita statuo. Chaldaei non ex artis sed ex gentis vocabulo nominabantur (*f*). Hinc edicto Praetoris *peregrini* opus fuit ut pellerentur, quod ex VALERIO nuper adnotavimus. Proscriptis igitur Chaldaeis, dubium oriri poterat an urbani Mathematici SCto comprehenderentur, et ceterarum gentium divinatores per Italiam vagantes; ideoque in ipso SCto diligenter adiectum, animadverti debere et in ceterarum gentium impostores. Ad rem facit SVETONII locus vexatissimus (*g*). *Nullis tamen infensior quam vernaculis et Mathematicis, ut quisque deferretur, inauditum capite puniebat.* HADR. TVRNEBVS *divinaculos*, IOS. SCALIGER *veraculos aut vericulos* substituunt. Sed *vernaculi* sunt qui divinationis artem ex populo profitebantur, nomine isto donati ut distinguerentur a Chaldaeis, qui *hospites* dicti. (*h*) In Glossis ISIDORI, *Vernacellus qui suscitat per dies festos*. Ingeniose restituit CANGIVS (*i*). *Vernaculus qui lusitat per dies festos*: idque GRAEVIVM, et ALMELOOVVENIVM fugit dum Glo-

Glossas illustrarent. Iam vides cur alibi damnentur malefici *in quacumque parte terrarum sint* (*k*). Nempe his verbis et Chaldaeos et quavis ex gente alios perstringere voluit Imperator.

Pergit VLPIANVS. *Professionem eorum, non notitiam esse prohibitam*. Scientia non prohibita, sed traditio ac doctrina. Iam enim ludibria istiusmodi in scientiam eruperant; Firminus ille AVGVSTINI (*l*) *non segnis consultor Mathematicorum, sciebat aliquid in his litteris*: at Firminum idcirco nil contra has leges fecisse iudicarem. Qui *notitiam* habebant *periti* dicuntur AMMIANO (*m*), at qui profitebantur, *doctores malarum artium* eidem dicti (*n*). Sed graviter PAVLLVS (*o*) tam *doctores quam peritos* deterret. *Non tantum divinatione quis, sed ipsa scientia, eiusque libris melius fecerit abstinere*. VALENTINIANVS denique (*p*) discrimen omne hoc in scelere sustulit. *Culpa similis est tam prohibita discere quam docere*.

Addit VLPIANVS. *Nonnumquam irrepsisse in usum, ut etiam profiterentur, et publice RE-*

PRE-

PREHENDERENT. Emendabat PITHOEVS, *publice responderent*. Augiae stabulum hic videt NERIVS. Dixeram alibi (*q*) posse restitui, *publice prehenderent*. Nam Chiromantae manum poscebant, sive prensabant arroganter, ut obviorum fata inspecta vola praedicarent. IVVENALIS (*r*)

. . . . frontemque manumque
Praebebit Vati crebrum poppysma roganti.

Posses minori motu legere, *publice deprehenderent*, eadem significatione. Sic PLAVTVS (*s*)

vel illae quae pallio me deprehendere.

Denique scribit ICtus. *Quod quidem per contumaciam et temeritatem eorum factum est, qui visi erant vel consulere vel exercere, quam qui fuerant permissum*. Male scribitur, *qui visi erant*: legendum omnino, *qui ausi erant*. Sequentia emendavit SALMASIVS (*t*), *quam qui fuerit permissum*. NERIVS aliter, *quam cui eorum fuerat permissum*. Ego simplicius et melius, ni fallor. *Per contumaciam et temeritatem eorum factum est qui ausi erant consulere vel exercere, quam quia fuerat permissum*.

(a) *Analect. lib. II. cap. 3. p. 26.*

(b) *Metam. lib. II. p. 23.*

(c) *lib. I. cap. 3. §. 2.*

(d) SVET. *in Vitell. cap. XIV.* TACIT. *Hist. lib. II. cap.* 62. TERTVLLIANVS coaevus VLP. (*de Idol. cap. IX.*) Vibs et Italia (*inquit*) interdicitur mathematicis.

(e) VAL. MAX. *d. lib. I. cap. 3. §. 2.*

(f) CIC. *de Divin. lib. I. cap. 1.* GELL. *Noct. lib. cap. 9.*

(g) *In Vitellio cap. XIV.*

(h) APVL. *Metam. lib. II. p. 23.*

(i) *In Glossar. h. v.*

(k) *L. 7. C. de malef.*

(l) *Confess. lib. VII. cap. 6.*

(m) *Lib. XVI. cap. 8.*

(n) *Lib. XXVI. p. 567.*

(o) *Sent. lib. V. cap. 21. §. 4.*

(p) *L. 8. C. de malef.*

(q) *Obs. Crimin. ad* DE ANGEL. *de Delict. Part. III. §. 119. p. 19.*

(r) *Sat. VI. v. 582.*

(s) *Milit. Act. I. Sc. 1.*

(t) *Ad* LAMPRID. *in Alex. cap. XXVII.*

§. IX.

Sat vidimus VLPIANI in maleficorum vulgus odium ac supercilium . Quis porro non miretur CONSTANTINVM Magnum Christianae Religionis vera sapientia imbutum , attamen (*a*) superstitiones ac naenias impostorum

rum non tolerare solum sed cumulare etiam laudibus? Ita quidem hactenus opinati sunt eruditi post LEONEM Philosophum (*b*) et Scholiastas Basilicorum (*c*). Ego vero induci vix possum ut sanctissimum Principem eo caecitatis in media luce delapsum putem. Iam disputavi hac de re (*d*): lubet nunc non iniucundam Philologis mantisam attexere, et Constitutionem illam diligentius expendere. Verba accipe.

Eorum est scientia punienda et severissimis merito legibus vindicanda, qui magicis accincti artibus aut contra salutem hominum moliri, aut pudicos animos ad libidinem deflectere detegentur. Nullis vero criminationibus implicanda sunt remedia humanis quaesita corporibus, aut in agrestibus locis innocenter adhibita suffragia ne maturis vindemiis metuerentur imbres, aut grandinis lapidatione quaterentur, quibus non cuiusquam salus aut existimatio laederetur, sed quorum proficerent actus ne divina munera et labores sternerentur. Data X. Kal. Iun. Aquileiae, Crispo et Constantio Caes. Coss.

Remedia humanis quaesita corporibus nonnisi

si *medicamenta* esse possunt. Scio IAC. GOTHOFREDVM (*e*) velle hic designatas cantiones magicas quas teste APVLEIO (*f*) veteres medici ceu remedia vulnerum usurpabant. Sed CONSTANTINVS *quaesita* adpellat remedia, ut et CICERO (*g*), scilicet *investigata*. Haec loquutio herbis dumtaxat aliisque pharmacis convenit; nam certe verba et carmina *dicuntur* non *quaeruntur*.

Negotium magis facessunt *suffragia innocenter adhibita*. Iam hic doctissimus GOTHOFREDVS omnino magica videt sacra, ac tempestariorum caeremonias. Subdit *inanem esse ALBERICVM GENTILEM, qui haec ad agrorum lustrationes et dies Rogationum transfert*. Hanc explicationem et ipse proposui antequam GENTILIS opinionem rescirem, mihique gratulor quod in tanti viri sententiam nescius inciderim. Nunc attentius ALBERICVM defendam.

Quis *ambarvalia* veterum ignorat? Quis porro nescit primaevos Christianos adoptasse caeremonias paganorum ita tamen ut ipsas ad summam Religionis nostrae puritatem ac san-

sanctimoniam attollerent ? Hinc et *ambarvalibus* videntur substituisse quasdam supplicationes precesque sacras, retento, quoad fas erat, paganorum ritu. *Rogationes* a Mamerco primum Episcopo institutas plerique autumant circa an. 495. (*h*) At SIDONIVS coaevus (*i*) non institutas refert a Mamerco sed emendatas. *Erant quidem*, inquit, *quod salva fidei pace sit dictum, vagae tepentes infrequentesque, utque sic dixerim oscitabundae supplicationes, quae saepe interpellantium prandiorum obicibus hebetabantur, maxime aut imbres aut serenitatem deprecaturae, ad quas, ut nil amplius dicam, figulo pariter atque hortulano non oportuit convenire*. Inferre tuto possumus, agrestium supplicationes ante quintum saeculum exstitisse. Plane B. BASILIVS (*k*) ARCADIVS Imp. (*l*) aliique scriptores IV. saeculi (*m*) commemorant *litanias* et *processiones*. Mitto celeberrimum TERTVLLIANI locum (*n*) et can. XVII. Concilii Laodiceni I. Constantino imperante habiti ; haec enim nihil ad rem, fatente vel IAC. GRETSERO (*o*). Sed

vix mihi tempero quin adscribam egregium locum pervetusti scriptoris, quem sub nomine EVSEBII Gallicani Episcopi vulgavit ANDREAS SCHOTTVS. Non male alii ipsum putant EVCHERIVM Lugdunensem, argumentum deducentes ex testimonio CLAVDII MAMERCI (p). Addam aliud indicium: Homiliam quippe, unde mox paucula desumemus, manifeste citat Scholiastes antiquus SIDONII APOLLINARIS (q) sub nomine EVCHERII. Recusam videbis in Bibl. PP. (r), atque ibi post alia. *Exoraturi sumus ut Dominus infirmitatibus, plagis, tribulationibus interdicat; malum pestilentiae, hostilitates, grandines, siccitates repellat, caeli temperiem pro salute corporum, pro terrarum foecunditate componat: elementorum pacem cum temporum tranquillitate concedat, peccata dimittat, flagella submoveat.* Si EVCHERII Lugdunensis ista sunt, testimonium nanciscimur indubium veritatis; nam V. Saec. ineunte floruit EVCHERIVS, ac certe Mamerco vixit antiquior. Itaque statuendum IV. etiam saeculo Litanias et Rogationes fuisse cele-

le-

lebratas, et quidem a popularibus gregatim et licenter. IVSTINIANVS (s) deinde *laicis interdixit Litanias facere sine Episcopo aut Clericis*. Sed olim Litanias, teste EVCHERIO, celebrabant vicani simplicesque rustici ut Dominus *grandines ac siccitates repelleret, terras foecundaret*, seu ne divina munera vento et grandine sternerentur. Potuit ergo magnus CONSTANTINVS *suffragia* illa de Christianis rogationibus accipere tunc primum in Ecclesiae libertate nascentibus. VGVTIO plane *suffragia* explicat, *rogationes quas Sanctis fundimus*.

(a) *L.* 4. *C. de malef.*
(b) *Nov. LXV.*
(c) *Lib. LX. tit.* 39.
(d) *L. cit.* §. 489. *et* 635.
(e) *Ad l. in C. Th.*
(f) *Apolog.*
(g) *Pro Cluent. cap. IX.*
(h) ADO *Viennens. in Chron.*
(i) *Lib. V. Epist.* 14.
(k) *Epist. LXIII. ad Neocaesar.*
(l) *L.* 3. *C. de haeret. quae est.* 30. *C. Theod. eod. tit.*
(m) AVCTOR *Serm. CLXXIII. de temp. inter opera S.* AVG.

(n) *Ad Vxor. lib. II. cap.* 4.
(o) *De Processionib. lib.* 1. *cap.* 2. *p. XII.*
(p) *De Statu Animae lib. II. cap.* 9.
(q) *Ad d. lib. V. Epist.* 14.
(r) *Tom. VI. col.* 645.
(s) *Nov. CXXIII. cap.* 32.

§. X.

At CONSTANTIVS et IVLIANVS Caesar severissimam Constitutionem protulerunt in Maleficos. Ita edicunt (*a*).

Multi magicis artibus usi, elementa turbare, vitam insontium labefactare non dubitant, et Manibus accitis audent ventilare ut quisque suos conficiat malis artibus inimicos. Hos, quoniam naturae peregrini sunt, feralis pestis absumat.

In Codice Theodosiano Constitutio ista V. est *eod. tit.*, et lectio in omnibus congruit excepto primo commate, ubi habetur, *Multi magicis artibus ausi elementa turbare* etc. Quamvis IAC. GOTHOFREDVS hanc lectionem praeferat; ego tamen retineo lectionem Iustinianeam. Maleficos enim labefactare vitam insontium credebant, atque elementa turbare, absque eo quod res utraque coniungeretur; nam

nam et elementa turbare alio poterant fine; et vitam labefactare veneficiis.

Quaedam ex prima Constitutionis parte decerpsit B. AVGVSTINVS (*b*). *Magi sunt qui vulgo malefici ob facinorum magnitudinem nuncupantur. Hi, permissu Dei, elementa concutiunt, turbant mentes hominum minus confidentium in Deo, ac sine ullo veneni haustu, violentia tantum carminis interimunt. Unde LVCANVS lib. VI.*

Mens hausti nulla sanie polluta veneni
Incantata perit.

Daemonibus enim accitis audent ventilare ut quisque suos perimat malis artibus inimicos. Illa AVGVSTINI (*minus confidentium in Deo*) glossema videntur a sciolis intrusum. Immo ne quidem sancti Patris mentem adsequuti sunt. Dixerat AVGVSTINVS, *turbant mentes hominum* scil. concutiunt, in furorem agunt. Scioli opinati sunt haec pertinere ad consultores maleficorum, quorum mentes turbarentur, et magicis artibus in transversum abirent; ideo adiecerunt, *hominum minus confidentium*

 in

in Deo, ut vergeret sermo ad homines in Deo minus confidentes et daemonis opem implorantes. Quid plura? ISIDORVS (*c*) ad verbum, tacito AVGVSTINI nomine, locum integrum describit, neque agnoscit glossema. Item IO. SARISBERIENSIS (*d*) eadem sua facit, paucis immutatis, et emblema reiicit. *Magi sunt, et ob magnitudinem maleficiorum sic adpellantur, qui Domino permittente elementa concutiunt, rebus adimunt species suas, ventura plerumque praenunciant, turbant mentes hominum, immittunt somnia, hominesque violentia carminis dumtaxat occidunt, quod et LVCANVM nostrum non latuit. Ait enim. Mens hausti* etc.

Procul dubio B. AVGVSTINVS verba CONSTANTII exscripsit: nam propositum est Edictum hoc nostrum an. 357. scil. CONSTANTIO IX. et IVLIANO Caes. Coss. Atqui tunc temporis B. AVGVSTINVS bimus in cuna vagiebat. ISIDORVS deinde ac SARISBERIENSIS mira concordia B. AVGVSTINI vestigia presserunt.

(a) *L. 6. C. de malef. et mathem.*

(b)

(b) *De Civit. Dei lib. XXI. cap. 6.* . Refertur quoque *in can.* 14. §. 1. *caus.* 26. *qu.* 5.

(c) *Orig. lib. VIII. cap. 9.*

(d) *Policrat. lib. I. cap. XI.*

§. XI.

Venio ad interpretationem . *Audent ventilare ut quisque suos conficiat . . . . inimicos*. Ventilandi vocabulum, obscurum quidem hoc loco, ego ita interpretor, magos *ventilare* h. e. prodere, palam facere, atque in vulgum spargere ritus illos et observationes quibus inimicorum vita labefactetur. Sic plane *ventilandi* verbum adhibet APVLEIVS (*a*). *Qui nomen tuum pro tribunalibus ventilavit* . Item MINVTIVS FELIX (*b*). *Nec intelligebamus ab his fabulas istas semper ventilari* . Addendus PAPIAS non ineptus Grammaticus . VENTILAT, *spargit* . Schedae MSS. Saec. XII. MARCHESINO auctore, quibus in praesens utor. VENTILO. *as. i. quasi ad ventum dispergo.* Malefici *ventilabant*, nempe docebant VT quisque posset inimicos perdere i. e. *artes* perdendi. IAC. GOTHOFREDVS mi-

ris modis *ventilandi* vocabulum ventilat. Ait I. significare posse magica ludibria et praestigias, desumpto vocabulo a gladiatoria ventilatione: II. susurros et stridores magicos labiorumque ventilationes: III. ventilationes mortuorum in linteo: IV. taedarum iactum aversis manibus: V. purgationem aëriam: VI. agitationem corporis quoquo versum in sacris usurpatam iudaicis: VII. denique *ventilare* explicat *agitare*, *impellere*, *commovere*, *id est periculo obiectare insontium vitas*. Subscribit GOTHOFREDO re tamen haud mature perpensa et cursim indicata eruditissimus CANGIVS (*c*). Ego autem fateor summam GOTHOFREDI philologiam studiosorum oculos praestringere, legem illustrare diffiteor.

(a) *In Apolog.*
(b) *Octav. cap. XXVIII. sect. 2.*
(c) *Glossar. h. v. tom. VI. p.* 1478.

§. XII.

Superest *pestis* illa *feralis*, quae tot peperit interpretibus tricas. Olim emendabam *RE-*

RESTIS feralis absumat : atque ita laqueum minarentur Principes , quem APVLEIVS (*a*) non dissimili loquutione *funestum nodum* vocaverat . Immo *feralia* proprie dicuntur instrumenta mortis in supplicio noxiorum. Sic *feralia crucis ligna* reperies apud MINVTIVM (*b*) .

Neve regeras restem sive laqueum non *absumere* , sed flammas tantum ex consueta ICtorum phrasi (*c*) Nam et gladio damnatos *consumi* scribunt VLPIANVS (*d*) ac PAVLLVS (*e*) Accedit MARCELLINVS (*f*) . *Romulus et Sabostius Curiales poenali* consumpti *sunt ferro*: et alibi (*g*) *Abscissa cervice consumptus est ferro* .

Multo minus obiici poterit laquei supplicium veteribus fuisse ignotum . Nam reste guttur frangebant noxiis (*h*) et haec , ni fallor *laquei poena* dicitur PLINIO (*i*) . Neque inficior illam privatim et in carcere inflictam , publice numquam . At postea sub Augustis cum tot artes crudeliter necandi inventae sunt, quis negaverit et laqueum non

raro

raro adhibitum? VLPIANVS certe (*k*) ait cum damnatur aliquis ut *gladio* pereat, gladium omnino usurpandum, non *laqueum* vel securim: unde colligas aevo ICti suspendiosos non fuisse rarioris exempli, saltem ex licentia Iudicum. Idem VLPIANVS (*l*). *Non solent autem lugeri, ut Neratius ait, hostes vel perduellionis damnati, nec suspendiosi, nec qui manus sibi intulerunt. Suspendiosos* distinguit ab his qui sibi manus inferunt, nec satis commode cum PETRO FABRO (*m*) de cruciariis loquutum dixeris VLPIANVM.

Denique postquam CONSTANTINVS Magnus (*n*) edixit neminem in crucem tollendum, *furca* eius loco successit, non quidem significatione sua veteri, sed novitia, et quam nostra adhuc aetate servat. Propterea TRIBONIANVS totis Pandectis ubi *crucem* reperit, *furcam* suffecit, (*o*) ac praesertim in fragmento VLPIANI (*p*) ubi loquutionem deprehendas *in furca suspendisse*. Nec leve praebet argumentum protritus AVSONII locus. (*q*).

Miselle doctor, tibi sit obscaeno
Tuumque nomen Θ sectilis signet.

Opti-

Optime IOS. SCALIGER (r) animadvertit laqueum primo senario per nexum ϑ designari, damnationem altero; nam Θ litteram sententiis capitalibus praefigebant, ut vulgo notum, qua de re Θ eleganter *mortiferum signum Praetoris* adpellatur MARTIALI (s). Itaque AVSONII tempore Iudices ad suspendium plerosque damnabant; neque enim doctori Euno condemnationem istiusmodi imprecatus esset Poeta, nisi fuisset in usu. Denique ISIDORVS (t) satis luculenter hodiernum patibulum describit. *Patibulum vulgo furca dicitur quasi ferens caput* (u). *Suspensum enim et strangulatum haec exanimat . . . . Patibulum in quo homines appensi cruciantur vel patiuntur . . . . Patibulum appensos statim exanimat*. Temporibus ergo VLPIANI, AVSONII, TRIBONIANI, atque ISIDORI restem feralem in supplicio etiam publico non plane incognitam suspicor, ut potuerint CONSTANTIVS Aug. et IVLIANVS Caes. sublata iam pridem crucis poena, laqueum sive restem maleficis decernere.

Non hinc abibo, nisi pauca disseram de pae-

paene desperato AMMIANI loco (*x*). Is de Maximino Praefecto Urbi bellua potius quam homine haec tradit. *Resticulam de fenestra praetorii quadam remota dicitur semper habuisse suspensam, cuius summitas quaindam velut TAMVSAM colligaret, nullis quidem indiciis fultam, sed nocituram insontibus multis*. MATTHIAS MARTINIVS (*y*) hoc loco exscripto superdicit, *Quaerendum*. Pariter Maurini (*z*) viri doctissimi, TAMVSA nominata, pronunciant, *Divinet qui potest*. MARCELLVS DONATVS explicabat *cruoris substantiam* ex ἐσία et *tames*. At in Glossis Isidorianis a DONATO consultis *tames* perperam legitur monente GRAEVIO pro *tabes*. Eruditissimus GRONOVIVS (*aa*) pro TAMVSA mallet EMPVSAM. Legerem ipse TOMVSAM vel potius TOMICEM. Graecis θώμιγξ est *laqueus, funiculus*. Hinc fluit Latinis TOMEX dempta adspiratione in scriptura veterum (*bb*). Proprie significat laqueum sparteum arctissimo quodam volumine innexum ad constringendos manipulos et fasces agrestium. Maximinus funem ex fenestra demiserat, in cuius apice no-

nodum collegerat ad tomicis formam, atque ita strangulandis civibus ferale paraverat instrumentum. Iam si ita recte AMMIANVS intelligitur, huc puto respexit PETRVS FABER dum scripsit in scheda a FABROTO evulgata (cc): *Vera falsariorum poena et legitima, circa humiliores quidem servis cruciariis comparatos, fuit furca sive laqueus; et videatur in hanc rem AMMIANVS MARCELLINVS, quem in hoc citatum a Berterio relatore memini, ac dein a Protopraeside Durantio in arrestis publice pronunciatis sub festum Magdalenes an.* 1586. *Quod de suspenso Vigentio falsario traditur in Constitutione Imperatoris relata ab Augustino epist.* 68. *nomine Clericorum Hipponensium, hoc ad suspensionem ab ordine Decurionum pertinet, non ad laqueum, ut apparet ex eo quod subiicitur „ Eumdem ipsum Vigentium sub idonea prosecutione ad comitatum meum mittas* „ Sed omnino de quaestione Vigentii Constitutio intelligenda. Sic MARCELLINVS (*dd*). *Suspensus Eusebius . . . se conscio haec dixerat concitata*; et mox (*ee*) de quodam Valvo-

me-

mere. *Ut seditiosorum antesignanum . . . post terga manibus vinctis suspendi praecepit.* Postea Valvomeres ad Picenum eiectus et supplicio capitali alia de caussa interemptus narratur. Sed non nisi de laqueo commode explicaveris illa eiusdem MARCELLINI (*ff*). *Aginatius . . . cum magnis clamoribus appellaret nomina Principum sublimis raptus occiditur.* Itaque aut hunc postremum, aut primum ex AMMIANO locum cogitabant BERTERIVS, DVRANTIVS, et FABER.

(a) *Metam. lib. VIII. p.* 143.

(b) *Octav. cap. IX. sect.* 5.

(c) *Conf. l.* 1. *ff. de cadav. punit.* iunct. *L.* 3. *ff. de poen.*

(d) *Apud Collat. LL. Mosaic. et Rom. tit. XI.* §. 7.

(e) *l.* 3. *ff. de poen. et Sentent. lib. V. tit.* 17. §. 3.

(f) *Lib. XXI. p.* 353.

(g) *Lib. XXVI. p.* 567.

(h) CIC. *in Vatin. cap. XI.* TACIT. *Annal. lib.V. cap.* 9. SVET. *in Tib. cap. LXI.* VAL. MAX. *lib. V. cap.* 4. §. 7.

(i) *H. N. lib. II. cap.* 63.

(k) *L.* 8. §. 1. *ff. de poen.*

(l) *L.* 11. §. 3. *ff. de his qui not. inf.*

(m)

(m) *Semestr. lib. II. cap.* 9.

(n) NICEPH. *lib. VII. cap.* 46. HERM. SOZOM. *lib. I. cap.* 8. AVREL. VICTOR *in Vita Idem innuit* AVGVSTINVS *serm.XIV. de Verb. Dom., conc.*2. *in Psalm.XXXVI.*, *et ad cap. XVIII. Matthaei.*

(o) CVIAC. *Obs. lib. XVI. cap.* 1. *et ad* PAVLL. *Sent. lib. V. tit.* 14. CONTIVS *Var. cap.* 13. RAEVARD. *Coniect. lib. I. cap.* 16. LIPS. *de Cruce lib. III. cap.* 7. WISSENBACH. *Embl. Trib. cap. VII.* §. 15.

(p) *L.* 6. *princ. ff. ad l. Iul. pecul.*

(q) *Epigr. CXX. v.* 12.

(r) *Lect. Auson. lib. II. cap.* 20.

(s) *Lib. VII. Epigr.* 36.

(t) *Orig. lib. V. cap.* 27.

(u) *Melius legeres* „ furans caput „

(x) *Lib. XXVIII. p.* 653.

(y) *Lex. Philolog. tom.* 2. *p.* 734.

(z) *Ad* CANGIVM *h. v. col.* 988. *t. VI.*

(aa) *In not. ad* MARCELLIN. *p.* 562.

(bb) VOSS. *etym. h. v.*

(cc) *Ad* CVIAC. *Paratitl. Cod. lib. IX. tit.* 28.

(dd) *Lib. XIV. p.* 75.

(ee) *Lib. XV. p.* 85.

(ff) *Lib. XXVIII. p.* 659.

§. XIII.

Nunc de Constitutione redintegrandus sermo. Emendatio hucusque adserta, ne verum dis-

dissimulem, non ita me afficit ut lectionem vulgatam lubenter derelinquam. Viri docti in binas descivere sententias de *peste ferali*, quas oportet accuratius expendere ad ferendum recte iudicium.

Veteres Graeci Latinique (*a*) *feralem pestem* exponunt bestias. IAC. CVIACIVS (*b*) etiam addit emendationem de suo, refingens *pestem* in *pastum*; sed necessaria non videtur mutatio, ut infra evincam.

Huic explanationi mirum quantum faveant illa *quoniam naturae peregrini sunt*, quasi dicat Imperator: *Tradantur bestiis laniandi, quoniam similes bestiis internecino odio in humanum genus ferociunt*.

Nec verba repugnant. FERALIS PESTIS ABSVMAT. *Feralis* ad *feras bestias* respicit. MARTINVS quidem DEL RIO (*c*) obiicit *feralem* a *fera* derivari h. e. morte, proptereaque *feralem* idem esse ac *funereum*, non *ferinum*: *feralis* primam syllabam produci, *ferini* primam corripi: atque insuper *feralem* nunquam hoc sensu in auctoribus observari. Sed si a *fera* i.

e. mor-

è. morte *feralis* est, non repugnat a *fera bellua* idem verbum alia significatione descendere. *Feralis* prima syllaba non semper producitur. PRVDENTIVS (*d*) certe corripuit

. . . *monstrumque ferale sequuntur* :

et si minus in metro accuratum PRVDENTIVM opponas, saltem cum GELLIO (*e*) fateberis hoc in negotio nos a metri legibus pluries falli. Denique etsi concedamus adductam *feralis* significationem a scriptis veterum exulare, concedi velim Constantii temporibus latinam linguam laborasse foedissimis naevis. Accedit quod CONSTANTINVS (*f*) et IVSTINIANVS (*g*) malam in culleo mansionem parricidarum *ferales angustias* adpellant, quod *feris bestiis* in desperatum consortium traderentur. Sed et AMMIANVS (*h*). *Nullas infestas hominibus bestias, ut sunt sibi ferales plerique Christianorum, expertum*. Ferales dicit qui ferarum bestiarum saevum profitentur ingenium. FVLGENTIVS quoque (*i*) *feraliter* usurpat a *ferali* deductum adverbium, ut *ferinum* exprimat impetum. *Dum*

F *amor*

amor noviter venit, ut leo feraliter invadit. Propius ad rem nostram ISIDORVS. (*k*) *De ferali certamine: Ferarum pugna erat missas bestias excipere iuvenes, et pugnare adversus eas ultroneo funere.*

PESTIS (ne Cuiacianam crisim arripias) quidvis dicitur mortem creans et exitium. Sic belluae *pestes* optime dicuntur. SENECA Tragicus (*l*)

Pestes vocat, quascumque ferventis creat
Arena Libyae, quasque perpetua nive
Taurus coercet frigore Arctoo rigens,
Et omne monstrum.

ABSVMAT. Apposite satis in pastu ferarum. Adiungam locum pulcherrimum ex Epistola sincera B. IGNATII Martyris *ad Romanos: Sinite me ferarum escam fieri, per quas licebit Deum adipisci. Frumentum sum Dei, dentibus ferarum molar, ut mundus panis Dei inveniar. Immo blanditiis demulcete potius feras, ut mihi sepulcrum fiant, ut nihil de corpore meo relinquant, ne mortuus molestus cuiquam inveniar. Tunc ero verus IESV CHRISTI discipulus.*

lus cum mundus nec corpus meum viderit . Deprecemini Dominum pro me , ut per haec instrumenta Dei efficiar hostia .

(a) *Scholiastae Basilic. lib. LX. tit.* 39. PHOTIVS *Nomocan. tit. IX. cap.* 25. BALSAMO *ib.* ODOFREDVS *Benevent. et* ACCVRSIVS *in gl. ad h. l.*

(b) *Not. ad h. l.*

(c) *Disq. Magic. in append. lib. V. p.* 113.

(d) *Psychomach. v.* 565.

(e) *Noct. lib. XII. cap.* 3.

(f) *L. un. C. de his qui parent. vel lib. occid.*

(g) §. 7. *Inst. de publ. iudic.*

(h) *Lib. XXII. p.* 378.

(i) *Mythol. lib. II. cap.* 1.

(k) *Orig. lib. XVIII. cap.* 58.

(l) *Med. v.* 681.

§. XIV.

Nunc aliam sententiam de *ferali peste* proponam . IAC. RAEVARDVS (*a*) PETRVS FABER (*b*) , et suppresso utriusque nomine DION. GOTHOFREDVS (*c*) in alia discedunt . *Pestem* explicant *interitum* , et *feralem* dici putant , quod malefici flammis absumerentur , ut in feralibus officiis cadavera . *Pestem* accipi *pro morte exitioque certissimo* adnotat IAC. GO-

THOFREDVS (*l*) ex TITINIO, CLAVDIANO, MANILIO. Immo addere debuit *pestem* proprie *mortem* significare puris auctoribus. HVB. GIPHANIVS (*e*) *Pestis*: exitium. *Qui hac voce pro morbo quem veteres constanter pestilentiam vocant utuntur, barbarissant*. Ac licet GIPHANIO obsistant IO. FABER (*f*) et MATH. MARTINIVS (*g*), nihilominus praeoccupavit istorum argumenta et profligavit POPMA (*h*).

Adlata equidem interpretatio priore non minus probabilis mihi videtur.

Malefici enim, ceterique huius furfuris impostores vivicomburio solebant absumi (*i*), quomodo et sacrilegi (*k*). Attamen vivicomburii notio in voce *feralis* non subest, quod RAEVARDVS et alii suspicantur, sed, nisi fallor, per vocabulum *pestis* luculenter exprimitur. *Pestis* enim nescio quam com flammis habet cognationem. Auctor Vocab. Vet. *Dicitur pestis a pascendo, quod veluti incendium depascit, dum descendit in totum corpus*. Non quaerimus de veriloquio, hoc enim acute investigavit MVRETVS (*l*). At constat a *peste* ad

ad flammas non magnum discrimen intercedere tum quod ignis ipse praesens contineat exitium, tum quod pestilitatis more grassetur. Hinc VIRGILIVS (*m*) *pestem* accurate posuit pro *incendio*, ubi de Regina canit,

pesti *devota futurae*.

Quid hic *pestis* nisi vivicomburium Didus? Idem divinus Poeta de navibus agens incendio consumptis bis terque utitur *pestis* vocabulo (*n*). Neve regeras poeticam esse loquutionem, audi APVLEIVM (*o*). Cum ille in asinum versus stupae manipulos dorso portaret, admoto his repente igne et excitato incendio parum abfuit miser quin vivicomburio extingueretur. Verba sunt. *Totum me funestus ardor invaserat, nec ullum* pestis extremae *suffugium, nec salutis aliquod adparebat solatium*. Adfirmarem CONSTANTII *pestem feralem* ipsissimam esse *pestem extremam* APVLEII. Atque hanc interpretationem ita amplector, ut non reprehendam si qui de ludo arenario cogitabunt.

(a) *Var. lib. V. cap.* 3.

(b)

(b) *Semestr. lib. II. cap. 7.*

(c) *Ad h. l.*

(d) *Ad h. l. in C. Th. lib. IX. tit. 16. l. 5.*

(e) *Ad* LVCRET. *lib.* 3.

(f) *Thes. erudit. edit.* CELLAR. *h. v.*

(g) *Lex. Philol. h. v.*

(h) *De Vsu Ant. loquut. h. v.*

(i) PAVLLVS *Sent. lib. V. tit.* 23. §. 11. DIOCLETIAN. *lib. VII. tit. de malef. et math. in Cod. Gregor.* CONSTANTINVS *l.* 3. *C. de malef. quae est* 1. *C. Th. h. t.*

(k) VLP. *l.* 6. *princ. ff. ad L. Iul. pecul.*

(l) *Is ad* CATVLL. pestem *derivat* παρὰ τὸ πεσεῖν. *Iuvat coniecturam* MVRETI *quod olim* PESESTAS *diceba-tur.* FESTVS *h. v. p. CLXI.*

(m) *Aen. lib. I. v.* 715.

(n) *Aen. lib. V. v.* 699. *et* 683. *lib. IX. v.* 540.

(o) *Metam. lib. VII. p.* 119.

EXPLICIT.